# Epiſtolæ Duæ,

*Quarum altera*

# DE MORIBVS

AC

# INSTITVTIS

TVRCARVM *agit:*

*Altera*

# SEPTEM ASIÆ ECCLESIARVM

notitiam continet.

Editio ſecunda priori emendatior.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

# EPISTOLÆ QUATUOR;

*quarum duæ de*

*ORIBUS AC INSTITUTIS*

TURCARUM agunt;

*Duæ*

# SEPTEM ASIÆ
## ECCLESIARUM
## ET
## ONSTANTINOPOLEOS

Notitiam continent.

---

*uthore* Tho. Smith *Coll. D. Mariæ Magdalenæ Oxon. Socio.*

---

---

OXONII,

*xcudebat* H.H. *Academiæ Typographus*
*Impenſis* Ric. Davis. 1674.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

3 C

Digitized by Google

*Inſigniſsimo & Præſtantiſ-
ſimo viro,*

D. JOSEPHO WILLIAMSONO
EQUITI AURATO,

*Sereniſſimi Britanniarum
Regis apud Coloniam Agrip-
pinenſem Legato,*

T. S.

*Hanc iteratam epiſtolarum
editionem*

D. D. C. Q.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Imprimantur hæ quatuor epiſtolæ.

*P. Bathon: & Wellen:*

*Vice-can: Oxon:*

*Aug.* 21. 1673.

Digitized by Google

# EPISTOLA DE MORIBUS AC INSTITUTIS TURCARUM.

EFflagitas à me, *Vir Clariſſime & Præſtantiſſime* ( quod quidem jure meritiſſimo exigere poſſis, cui nimirum in ſolidum debetur, quòd *Orientem* inviſendi opportunitatem adeò commodam nactus fuerim ) ut ſi quid de genio, moribus, regimine, & inſtitutis *Turcarum*, quos ſi non penitùs introſpicere liceret, ſaltem prope intueri, & familiari converſatione, quantum per illorum inſolentiam & faſtum licuit, noſſe datum erat, habeam, illud *Tibi* communicem. Cui equidem poſtulato facilè compertum habeo, tum affectum illum, quo me per duodecennium & quod excurrit proſecutus es & ſtudia mea foviſti, tum illum planè heroicum mentis *Tuæ* ardorem,



Digitized by Google

& grande illud deſiderium, quicquid vitæ communi ac ſtudiis doctrinæ uſui eſſe poſſit, vel quod curioſitati, quam in nobis inſevit natura, ullatenus inſerviat, cognoſcendi anſam dediſſe. Sic inter ipſa publica negotia, quæ tantâ cum fide & cum omnium applauſu per tot annos ſuſtinuiſti & adhuc ſuſtines, animum ad ſtudia literarum erectum & alacrem habes, ac inter ſtrepitus & pompas & oblectamenta aulæ idem generoſum honeſtum, eoſdem placidiſſimos mores, eandem pietatem retines. Poſſem hoc quicquid eſt laboris facilè fugere, niſi hâc ex parte modeſtia quaſi crimen eſſe videretur; ſatis mihi conſcius, me nulla myſteria, nulla arcana revelare poſſe, quæ *Te* lateant, cui quicquid hâc de re, tum apud ſcriptores antiquos, tum apud nuperos exſtat, penitùs exploratum eſt: ſed quia ita vis & jubes, qui meas nugas eſſe aliquid putare ſoles, aliquid tentabo, ut vel ſic hoc obſequii ſpecimine magis conſtet, quantâ cum animi promptitudine quicquid mihi à *Te* imperatum

peratum

Digitized by Google

peratum fuerit facere vellem, modò ſuppeteret facultas. Non hic largos promitto commentarios, quos nec Ipſe expectas, unde non *Tibi* reformidandum erit, quaſi *Te* inerti & ingrata illarum rerum, quæ cuivis è plebe notiſſimæ ſunt, repetitione diſtinerem, (hoc enim eſſet & *Tui* & mei criminoſè obliviſci) ſed quicquid enarrandum habeo pauculis pagellis conſtringam abſque ullâ methodo, prout res ex memoria in calamum fluunt, hâc ſpe fretus, me, ſi non aliàs, hâc ſaltem quæſitâ brevitate, *Tibi* placiturum.

Gentem *Turcarum* meritò cenſendam eſſe barbaram facilè confitebitur, quiſquis vel per unicam ſeptimanam apud ipſos moratus eſt: hoc enim eſt ipſis peculiare & pro genio gentis (quod vitium etiam in naturam vertit ſuperſtitio) omnes alios, non ſolum qui diverſam amplectuntur religionem, ut *Chriſtianos* & *Judæos*, ſed qui ejuſdem ſunt cum ipſis, ſi in pauculis ritibus diſſentiant, uti *Perſas*, deſpicatui habere & odiſſe. Hic ſine morâ primo acceſſu oc-



Digitized by Google

currebat animo, quàm efferati ſint mores abſque ſtudio & culturâ, quam nihil homine dignum præſtent humaniorum literarum expertes & ignari, quàm fera res ſit ſuperſtitio; quot & quantis malis gravida, & denique quàm potens, ut adverſum ipſius naturæ legem, quæ communia humanitatis officia cuilibet jubet fieri, ita obbruteſcat. Nec indecorum hoc apud ipſos eſt, ſed pars quædam religionis habetur, in qua pueros ſedulò inſtituendos maximè curant, ne hoc *Muſulmannicæ* fidei indicium in iis deſideraretur. Miratus ſum ſæpe pueros, quos vix poſſe loqui crediderim, tantâ cum acritate animi, tanta cum vocis contentione, & furore magis quam puerili nos, dum in plateis propè ſpatiaremur, convitiis laceraſſe, (lapidibus in nos ab iiſdem quandoque projectis) adeò expeditè nobis *infidelitatem* objicientes, quaſi nihil aliud ab ipſorum parentibus addidiciſſent. *Chriſtianos* enim *Occidentales*, (quos omnes promiſcuè appellant *Phrenkiler*. i. e. *Francos*) non alio quàm *Infideli-*

*um*

Digitized by Google

*um* titulo dignabuntur, in illorum lingua *Gaour*, cui obſcæna quædam vocabula in noſtri vituperium & deriſionem ſolent adjicere, quæ apud ipſos adeò in communi uſu ſunt, ut ſi quid iis inter eundum accidat, quod offenſionem pariat, ſive in lapidem fortè impingant, etiam, quod mirêre, adverſus ſternacem equum, & ceſpitantem aſellum & bubalum eleganti, ſi Dîs placet, hâc verborum formulâ diſplicentiam & iram evomant. Quam malè de nobis ſentiant, & quali odio nos proſequantur non alio ſignificantiori vocabulo ſe exprimere poſſe exiſtimant quam τῷ *Bre Domuz*. i. e. *Vah porce*, nos in eôdem cenſu cum hoc animali, quod maximè execrantur, reponentes, quaſi eſſemus æqualitèr impuri, & à quorum tactu & conſpectu eâdem curâ & diligentiâ eſſet abſtinendum; nec hoc tamen eſt convitiorum extremum, ulteriùs progreditur *Turcicus* furor & barbaries, cui non ſufficit nos dignitate hominum exuere & in claſſem impuriſſimorum animalium detrudere: *di-*

*aboli* etiam frequenti ſalutatione ap-pellamur,& ingenti cum confidentiâ ac vociferatione nos in naribus *Dei* fœte-re contendunt.

Cum verò erga nos adeo malè ſint af-fecti ,& adeò atrocia præjudicia in pe-ctoribus foveant,non mirandum vide-bitur,ſi vix ſecuro apud illos *Chriſtiano* eſſe liceat, ſi eum aſperrimè tractent, ſi ipſius vitæ & opibus inſidientur, & du-ram ac miſeram ſervitutem ſervire co-gant,quando fortè ipſi in itinere pala-bundo & ſeorſim à ſuis ſociis erranti eunt obviam. Fatendum eſt in urbibus, ubi mercatores degunt,non adeo atroci-ter & inhumanè ſævitum eſſe ; ſuis pri-vilegiis fruuntur ab *Imperatore* ob commercii & mercaturæ commodum conceſſis,quibus libertati & vitæ publi-cè cautum eſt:Sed nullum edictum *Impe-ratorium* linguam domare poterit, adeò animis eorum mala de nobis inſedit o-pinio: Sed nec his paſſim huc illuc cur-ſitare licet in angiportis urbis,ne in æ-des privatas clam detrudantur,ac fiant captivi, abſque *Janizario*, qui præ-

ſidio

Digitized by Google

ſidio eſſe ſolet contra ebrios & zelotas quoſdam *Meccanos*, qui eos cultro aut pugione aliter petere vellent. At ſiquis vel ad viginti millia paſſuum ab urbe proficiſcatur, ſi modo itineris tranquillitati & capitis ſaluti conſultum velit, armatus incedat & habitu *Turcico* indutus neceſſum eſt, aſſumptis ſecum militibus, qui ipſum ab omni injuriâ immunem ſuâ authoritate præſtent. Quibus enim locis rari apparent *Chriſtiani*, in majori execratione habentur, & ſi quid ab ipſis humanitatis experiantur, id in gratiam conductorum factum eſt, ſoliſque ipſis imputandum, uti quandóque ipſis gratiam negatam eſſe noſtri cauſâ comperimus. Memini, cum *Sardibus* eſſem, *Janizarium* noſtrum à quodam *Turca* petiiſſe, ut nos in tuguriolo ſuo noctu exciperet, propoſitâ mercede longè ſuprà quàm exigere potuiſſet, ille, ſimulatque innotuerit nos *Chriſtianos* eſſe, extemplò cum ingenti indignatione renuit, dicendo, ſe nullâ conditione, nullo præmio domum ſuam *Infidelibus* pollutam voluiſſe.

Hiſce opprobriis commotum videri novum inſaniæ fomitem adminiſtraret, ad ea planè obſurdeſcere oportet, & ea forti animo ac *Chriſtianâ* patientiâ, quâ hiſce in regionibus maxime opus eſt, ſufferre, ac nihilo magis habere quàm latratus canum.

Sed ne hiſce convitiis nimis acritèr uramur, quaſi nobis adblandientes & hâc ex parte bene meriti, de *Judæis* ſentiunt pejus. Hoc pro gratiâ & beneuolentiâ erga nos deputandum volunt, quòd, collatione factâ, nos pluris æſtiment, qui generoſiores ſpiritus alimus, præ illis, quos, prout certiſſimis indiciis comperi, tanquam viliſſima capita & abjectiſſimos mortalium, qui nihil præclarum, nihil generoſum ſapiunt, abominantur. Frequenti in ſermone aiunt, ſe mirari *Chriſtianos* credere poſſe, *Deüm*, *Prophetam* adeo inſigniter *ſanctum* & miraculis celebrem, (hæc enim teſtatiſſima ſunt eulogia ab ipſis *Chriſto* beatiſſimo noſtro *Salvatori* unanimi conſenſu data) in manus tam degeneris populi crucifigendum dediſſe,



Digitized by Google

ideóque fingunt, quod majeſtati & juſtitiæ *Dei* & meritis *Chriſti* magis conſonum *ipſis* videtur, *Chriſto* elapſo & in cælos clam aſſumpto, quendam ipſi facie ac toto corpore perquàm ſimilem, ab hâc pervicaci & viliſſimâ gente ſuſpenſum fuiſſe. Hos etiam generali nomine appellant *Tchephut*, quod ex ignominiâ ipſis certè impoſitum eſt, licet qualem originem habeat, planè incertum ſit: mihi videtur ex *Arabico Gehud* corruptum, cui etiam præfigunt ac paſſim ingeminant, *Ghiddi Tchephut* i. e. *Cornute Judæe*, qualem titulum etiam nobis pro liberalitate ſuâ quandóque impertiunt, tandem *Turcicâ* pronuntiatione ita inflexum eſſe; ſed quicquid ſit de Etymo, certo certius eſt hoc nomine ipſis *Prophetarum* à *Deo optimo Maximo* miſſorum, in quorum numero, ſecundum impoſtorem *Mohammedem*, ponunt *Chriſtum*, deſertionem & abrenuntiationem exprobrari. Hi maximè ſunt obnoxii militum injuriis, quos ſæpe obtorto collo abreptos in terram proſternunt, & eorum

rum

rum naſos & aures quaſi ludentes premunt, contra quos ne hiſcere quidem audent; hoc enim eſſet novam invitare injuriam, & luſum in furorem vertere. Horum tamen operâ utuntur, non quaſi ad concilia ſecretiora admitterentur, & eorum, quæ adverſus *Chriſtianos* moliuntur, conſcii eſſent, vel ab ipſis quid contra ſe à *Chriſtianis Principibus* propoſitum ac deſignatum ſit, tanquam ab exploratoribus eruerent, (neutrum enim horum admittit *Turcicus* faſtus, nec adeò altùm ſpirat ingenium *Judaicum*, quòd odio illorum adverſus nos longè inferius eſt, & in uſuris & cambiis majori cum fructu exercetur) ſed in emendis mercibus, & in teloniis exigendis iiſdem ut propolis & portitoribus utuntur, utpote qui artem veteratoriam callent & profitentur, verſipelles, & in re nummariâ quam maximè verſati; & in hunc finem quilibet *Baſſa*, (nec excipio quoſcunque alios, qui ad ſublimem dignitatis gradum evehuntur) quendam *Judæum* in familiâ & comitatu retinet, cui hoc negotii ſolum

datur,

Digitized by Google

datur,ut res ſibi ſuíſq; neceſſarias procuret. Ita de *Judæis* æquè ac *Chriſtianis* præclarè merentur *Turcæ.*

Litem verò maximam,& diſſidia longè atrociora cum *Perſis* habent; utrique *Mohammedem* ſummum *Prophetam* agnoſcunt, iſtius ineptias, quibus *Alcoranum* ſuffarcinavit *Planus* iſte,tanquam oracula amplectuntur, iſtius memoriam colunt, legíque,quam inſtituit, ſubſcribunt, eámque obſervant ſuperſtitioſè: Sed de ſucceſſore ejus legitimo ipſis non convenit. *Perſæ Alio* genero ejus,qui *Phatimam* filiam in uxorem duxit, hunc honorem jure deberi contendunt,rejectis *Abu-Becro*, *Oſmano*, & *Omaro*,tanquam malæ fidei poſſeſſoribus, & corruptoribus *Alcorani*, quos *Turcæ* ut præcipua ſuperſtitionis ſuæ fulcra & ornamenta venerantur:deinde in quibuſdam ritibus variatum eſt, utriſque ſuam ſententiam acriter tuentibus. Hinc mutuæ querelæ & criminationes ſibi invicem impactæ, hinc ſimultates ortæ, quæ in diſſidium nullâ arte conciliandum tandem erupere. Si fortè de

de *Perſa* oriatur ſermo, zelus iſte quem præ ſe ferunt *Turcæ* in defendendo *Iſlamiſmo*, citò exardeſcit, & ipſis convitia & maledicta ſuppeditat; *Kaphir* appellatur, i. e. Apoſtata & deſertor veræ fidei, *Rafizi*, Hæreticus, qui novos religionis ritus ſequitur, *Murdar*, Munditiei negligens, quam in ſuis ſectatoribus requirit *Propheta*, & prorſum impurus, *Binamaz* Profanus, qui preces ritè non celebrat, utpotè neſcius, quomodo benè orandum ſit, *Dinſiz*, ſine Religione, denique *Kiſel Baſh Gaour*, *Infidelis rubri capitis*, ad faſcias illius coloris, quas capiti circumvolvunt, alludendo, cum ipſorum tegmina pleráque ex parte ſint candida, exceptis *Mohammedis* poſteris, quibus ſolis, ut viridia geſtent, honoris gratiâ & ſpeciali privilegio indultum eſt.

Haſce de religione lites primùm invexit quorundam vafrities, quas in pectoribus plebis & militum continuò alunt. Hiſce artibus facilè reguntur illorum animi, hâc machinâ urgentur ad quodvis bellum alacritèr ſuſcipiendum.

Quis

Quis enim adeò vili eſt animo, ut vitam projicere nolit in vindicandâ Religionis cauſâ, quando vera fides periclitatur aut propaganda eſt, quando contra *Hæreticos* & *Apoſtatas* arma ſunt ſumenda, quando pro *Deo* belligerandum eſt? Quali ſucceſſu hoc argumento contra *Chriſtianos*, utuntur, cum tota moles belli in ipſos vertitur, poſtea declarabitur; quali contrâ *Perſas*, teſtatur, inter cætera bella contra illos fæliciter ſuſcepta, iſta *Bagdadi* expugnatio Anno *Chriſti*, CIↃ. IↃC. XXX. IIX. cui bellicoſus ille *Imperator Morad* (noſtri *Amuratem* appellant) interfuit, qui paulò poſt ex crapulâ & nimio vini hauſtu ingenti *Chriſtianorum* bono, quibus atrocitèr minatus eſt, deceſſit. Poſtquam enim in *Divano* de expeditione *Perſicâ* decretum erat, claſſicum cecinerunt, ad animandos *milites*, è roſtris *Turcici ſacerdotes*. Quo officio admodum bellè defuncti ſunt. Illorum nempe erat ſuperſtitioſæ genti inculcare, quantum à verâ fide defecerint *Perſæ*, quibus offuciis legem divinam corruptum

corruptum iverint; & quam benè de *Deo*, de *Mohammede*, & *fide Moſlimicâ* mererentur, ſi ſtrenuè contra ipſos pugnarent. Nec hæc privatorum in templis ſola erat ſententia & conſilium, ſed ſummus ſacrorum apud ipſos Antiſtes, (quem *Mufti* appellitant) cujus ſententiæ refragari nefas eſt, Programmate publico, quod apud vulgus ſparſum erat, idem pro infallibili authoritate ſuâ determinavit. Cujus exemplaria ferè ubique proſtant, unúmque mecum tuli; In eo fulminat ac detonat in capita *Perſarum*, inque eos maledicta & diras effundit,& poſtquam longâ argumentorum ambage & ingenti verborum pompâ apoſtaſiæ crimen ipſis objectum aggravâſſet, dogmaticè pronuntiat, *Muſulmannos* magis de *Deo* mereri, occidendò *Apoſtatam Perſam*, quam *rebellem Chriſtianum*, & ab ipſo longè majorem tam præclari facinoris mercedem expectari poſſe; nec tam crudeli ſententiâ, quâ eos eradicatum cupiit, contentus, ad Inferos damnat, & *Deum* ſupplex rogat, ut

illic

illic inſtar aſinorum portandis *Judæis* inſerviant. Quam internecino odio mutuò ſe proſequantur *Sectæ*, utinam ſolum exemplum è *Mohammedanis* petendum eſſet; ſed fruſtra Ipſis hæc mutua diſſidia objicimus, cum idem à *Chriſtianis*, qui poſthabitâ lege, quæ charitatem ſpirat, mutuámque ſuadet συγκατάβασιν, ſibi invicem malè ominentur, & bellum indicant ἄσπονδον, pro dolor! frequentèr heu! quàm frequentèr factitatum ſit.

Non jam opus erit, ut pluribus laborem oſtendere, quàm magnificè de ſe ſentiant, quantúmque ſibi arrogent; Quod ex præcedentibus facilè licet colligere. Hic autem præcipuus eſt arrogantiæ illorum fundus, quod nempe ſe ſolos eſſe *fideles*, ſe veram ſalutis viam ingredi, dum cæteri in devio errorum tramite incerti errant, præfractè opinentur. Nec alio cognomento diſtingui & cognoſci quàm *Muſulmannorum* volunt, quod idem denotat. Pudet enim illos *Scythicæ* originis; reſpicere ad vitam paſtoritiam, quam ſub Monte *Imao* ſectati

ctati fuerint majores ipſorum,quibuſve difficultatibus ferè in omni rerum inopiâ miſerè conflictati ſint, reminiſci & contemplari non illorum moribus convenit, ideóque ab hoc gentili *Turcarum* nomine abſtinendum cenſent, quaſi malè ominoſum eſſet, & iſti faſtigio rerum, ad quod evecti ſunt hodie, detraheret, & ab eodem adeo abhorrent, ut ſi quis è *Chriſtianis* hoc nomine utatur de ipſis, quando adſunt, quaſi contumelia ipſis facta eſſet, indignentur. Quotquot ex ærario & reditibus *Imperatoris* aluntur, & ab ipſo immediatè dependent, titulum *Oſmanli* ſibi aſſumunt, ad teſtandum ſummam illam reverentiam, quâ feruntur erga nomen & memoriam *Oſmani*, (cujus fortitudini & prudentiæ Imperii initia unicè debentur) & poſteros ejuſdem rectâ lineâ ipſi ſuccedentes; hoc modo gloriantes ſe eſſe ſubditos & mancipia tanti viri; licet alii quamplurimi in *Anatoliâ*, præſertim in provinciis *Galatiæ*, *Bithyniæ*, & *Cappadociæ*, qui ab *Oſmani* aſſeclis & comitibus

mitibus natales ducunt,ob quorum ſtu-
dia in jaciendis ſub ipſum imperii fun-
damentis hoc ipſis indultum eſt, ita
etiam nuncupantur. Sed generale illud
*Muſulmannorum* nomen, quod à religio-
ne petitur,omnes ex æquo ſpectat: hoc
inſigniri cupiunt, hoc maximè dele-
ctantur.

Quam autem ſibi ſolent gratulari de
fælici ſorte,quâ contigit ipſos vel naſci
vel fieri *Muſulmannos*! quantis plauſi-
bus triumphant! quam ſolennes *Deo*,
de hac via ſalutis, quam ipſis revelave-
rit,gratias agunt! Ita de ſe & de aliis
confidentèr ſtatuunt. Sed ecce! quale
fundamentum, quam debile! quam fal-
ſum! huic ingenti confidentiæ ſternunt.
Veritatem ſuarum ineptiarum è proſpe-
ro rerum ſtatu eunt demonſtratum; to-
tam vim argumentorum in gladiis repo-
nunt; id à *Deo* in illorum gratiam clarè
decisum eſſe clamitant;tot triumphos &
victorias,quas de *Chriſtianis* reportave-
rint,tot imperia & regna peſſundata, &
victricibus illorum armis deleta,divi-
næ approbationis manifeſta eſſe indicia;

& ſe eſſe athletas *Dei*, quorum pia ſtudia adjuverit & tantis ſucceſſibus coronaverit, contra *infideles* crepant. Ita hoc percraſſiſſimo errore occæcati, ſibi ipſis perſuadent, ac id ipſum *Chriſtianis* cupiunt perſuaſum. Næ erga *Chriſtianos* ſe maximè benevolos credunt, quotieſcunque blandè interrogant, quare fidem *Muſulmannicam* non amplectuntur? reſponderi ſolet, ſe à parentibus & avis in *Chriſtiana* fide & religione inſtitutos, & in eadem etiam permanſuros fore. Non enim alîus reſponſi capaces ſunt hi obtuſi homunciones, nec aliud dare licet. Quod ſi quis *Chriſtianæ* Religionis veritatem contra ipſos tueri vellet, & eorum ſuperſtitionis ineptias & impoſturas arguere, ingentem ſanè zelum & fortitudinem animi præ ſe ferret: ſed neſcio quo jure glorioſum *Martyris* nomen ſibi dari poſt mortem expectare poſſit, qui talem defenſionem in ſe ſuſciperet ſine vel minimâ ſpe felicis eventi, & hâc leviculà occaſione ipſos in publicis plateis & templis, quando iſtiuſmodi quæſtiones ipſi proponuntur, animoſè aggre-

Digitized by Google

aggrederetur,qui in ſuis ineptiis defendendis ſunt maximè pervicaces & obſtinati. Adeo altas in pectoribus eorum radices tenet hæc opinio,ſibíque tantoperè adblandiuntur,ut de illâ vel minimùm dubitare nefas eſſe, & quenquam ab hac impia fide amovere conari capitale crimen,& ultimo ſupplicio luendum eſſe decernant. Tanta vis eſt educationis,quæ omnem rationem penitùs excludit.

*Pruſiæ* in *Bithynia* in *Moſcheam* quandam ( olim templum *Chriſtianorum* ) in qua *Urchanes*, qui urbem expugnavit, ſepultus jacet, admiſſi eramus: *Turcæ* enim avaritiæ cauſâ *Chriſtianos* eorum templa ingredi, eáque curioſiùs rimari ſinunt, ſatis edocti, quantum nummorum ab ipſis effuſum ſit, modò curioſitati ſatisfiat. Quo viſo ac perluſtrato, poſtquam *Sacerdos Turcicus*,provectiſſimæ ætatis, qui portam templi aperuerat, manum aliquot nummis præter expectatum impleri ſenſiſſet, quo grates tantâ mercede dignas ageret, ingenti cum fervore o-

culis ad cœlum elevatis, *Deum* precatus eſt, ut nos ad fidem *Muſulmannicam* ſuo tempore tandem convertere dignaretur: hoc nimirum eſt ſummum erga nos affectûs teſtimonium, qui ex iſto falſo & imperitiſſimo zelo ſolet profluere.

Unicus hic videtur modus effera eorum ingenia *mitigandi*, ipſis bene facere; modò eorum avaritiæ pecuniâ & muneribus gratificeris, blandi & benigni erunt, & caudas movebunt; ſin minus, allatrant illico & à morſu illorum ſedulò cavendum eſt: offis enim, quibus placari ſolent, ſublatis, ad naturam ſuam majori cum feritate redeunt. Latet nimirum & in alta mente reponitur vetus odium noſtri, quod ne erumpat in convitia & injurias, vetat lucri & commodi ſpes, quod avidi percipiunt. De cæteris, qui talem ſpem non fovent, fruſtra hoc expectandum eſt, à quorum inſtitutis & religione bene velle *Chriſtianis* longè eſt alieniſſimum. Ita res plerumque ſe habet, licèt fortaſſe è tantâ colluvie emergant unus & alter

alter, qui hoc ex ſuperſtitione ortum vitium ſupprimant, & in longè diverſos abeant mores, qui ſe longo poſt tempore gratos præſtent erga illos, qui de ipſis bene meriti fuerint, & etiam illorum gratiâ erga alios, ſenſu gratitudinis, quo nec ipſa bruta prorſùs carent, & generoſioribus naturæ principiis ducti. In talem inter peregrinandum fortè fortuna ſemel incidi, cujus admirandam humanitatem præter morem gentis ſuæ non reticebo. Hiſtoriolam paucis abſolvam. Dum per plateas *Pruſiæ* huc illuc ego & alter vagaremur, deſiderio videndi rudera quæ ſupererant antiquitatis, occurrit nobis è primoribus urbis *Turca*, qui ex facie facilè conjectans, nos nihil cum *Turcis* habere commune, præter veſtes, quibus induebamur, *Janizarios*, qui nos comitati ſunt, confeſtim interrogabat, annon *Franci* eſſemus, fatentur, nos eſſe; quibus ille, cujates; *Angli*, reſpondent: benè quidem, inquit ille, ad ædes meas eos deducatis rogo. Quo cognito, planè attoniti eramus, neque enim tutum erat



[library stamp]

hanc comitatem rejicere, neque amplecti, cum hoc planè novum eſſet, & prorſus inauditum; & metuendum videretur, ne aliquid doli aut periculi ſub hâc comi invitatione lateret. Tandem conſultatione facta, ire decrevimus, illius humanitati & *Janizariorum* noſtrorum fidei confiſi. Quamprimum ædes illius, ſane magnificas, ingreſſi fueramus, nos (quod non licuit in publicis plateis) humaniſſimè ſalutavit, & ſedere juſſis liquorem iſtum nigrum, quem pitiſſando ſorbillant, cupedias & edulia apponenda curavit. Lautum erat convivium, quod citò apparabatur. Hanc inſignem benignitatem magis magíſq; obſtupuimus, poſtquam ex familiari colloquio, quod ope interpretis cum illo habuimus, illum *Prophetæ* ſui ſepulchrum *Meccæ* viſitaſſe nobis innotuerit; quilibet enim, qui peregrinationem ſuſcepit *Meccam* & *Medinam* ejuſdem *Impoſtoris* natalibus inſignem, eo nomine ſe cum ferventiore *Zelo* ad debacchandum contra *Chriſtianos* teneri credit. Sed nos ab hac animi perplexitate

Digitized by Google

tate tandem liberavit, referens, ſe cuidam mercatori *Anglo*, qui *Smyrnæ* degerat, ob varia humanitatis officia maximè devinctum fuiſſe, ac ideò eorundem beneficiorum memorem, ipſius intuitu omnes illius conterraneos, eâdem, quâ exceptus eſſet, benignitate excipere in animo ſtatuiſſe; vix abeundi veniam impetrare potuimus; tantiſper dum *Pruſiæ* manſerimus, in illius ædibus nobis hoſpitandum erat, & cùm ægrè nos dimiſerit, quendam è famulis ſuis nobis comitem adjunxit (cum ipſe adeò commodè ire nobiſcum non potuerit) ut illius gratiâ palatium *Imperatoris*, quod luſtrare cupiimus, facilius ingrederemur. Miraberis mecum tantam benignitatem, qualem fortaſſe toto imperii circuitu vix alibi experiri liceat.

Ritu circumciſionis in hac fide initiantur *Turcæ*; hoc eſt illorum unicum ſacramentum, quod Impoſtor *Mohammedes* retinuit, gentis ſuæ originem ab *Iſmaele* petentis conſuetudinem ſecutus, cui ab antiquo, uti aliis

in Oriente gentibus, præter *Judæos*, in uſu erat. Non autem ſolent infantes circumcidere, nec ad annum præſtitutum, multò minus ad octavum diem, ex lege tenentur; illorum arbitrio planè *relictum* eſt, licet plerumque in ſeptimo aut octavo ætatis anno circumciſionem fieri curant, quandóque tamen ad annum duodecimum aut decimum tertium, ſed non ultra, in memoriam & honorem *Iſmaelis*, quem fingunt ad id ætatis circumciſum, prorogant. Nondum circumciſi cirrum nodis implexum, & in longum protenſum, tergo ſuperincumbentem habent, capillitio aliàs abraſo. Quo tempore *Muſulmanicæ* fidei ſoli ſunt candidati: Quali autem lætitiâ, quibus triumphis, quam ingenti pompâ hoſce ritus, quibus ad fidem, quam tantoperè deprædicant, admittuntur, non eſt adeo facile conceptu. Cognatos vicinóſque, qui futuri ſunt teſtes, ſolenniter invitant, eóſque conviviis lautis excipiunt, totúmque diem cantionibus & geſticulationibus hilaritati impen-

pen-

Digitized by Google

pendunt. Mox poſt preces veſpertinas de re præſtandâ cogitant, cujus cauſâ convenerant, quæ Chirurgo aut Tonſori, aut cuilibet alii, cui facilis & artifex manus, committitur. Introducitur puer circumcidendus, tiarâ & novis veſtibus ornatus, cui adblandiuntur, ne de dolore, quem paſſurus eſt, cogitans deliquium patiatur, illum nempe mox futurum eſſe *Muſulmannum*, & omnium privilegiorum, quæ ſuis ſectatoribus promittit *Mohammedes*, capacem reddendum eſſe; interdum potionem quandam medicinalem, quâ profundus ſopor inducitur, illis ebibendam dant, ne dolorem ſentiant. Ingens licet ſit hic apparatus, ac circumciſionem ad *Iſlamiſmum* aditum & viam aperire credant, quaſi non eſſet ſacer ritus, & hâc ex parte conſuetudini magis quam religioni conſuleretur, nullis precibus inter peragendum utuntur, *Deum* ſolenni oratione neutiquam invocantes, niſi quòd Chirurgus in ipſo actu dicat, *Biſmillah in nomine Dei*, cui ab iis, qui interſunt, nomine *Dei* ter repe-

tito

tito acclamatum eſt *Allah*, *Allah*, *Allah*: interim tympana aliaque muſica inſtrumenta pulſantur, ne ejulatus ipſius exaudiretur. Filiis vero *Imperatoris*, *Baſſarum*, aut quorumcunque ex honoratioribus circumcidendis, alios hoc eodem tempore adjungere ſolent, honoris causâ, & ut illorum exemplo, dolorem, quem tot ante ſe paſſos viderint, fortiori animo ſubirent. Hi appellantur *Sunnet daſh* i. e. *ſocii Circumciſionis*, inter quos durat ad mortem uſque pluſquam fraternus amor, quo ſe mutuo proſequuntur, cui tanta ſolennitas initium dedit. Hoc peracto ad convivia itur, & reliquâ nocte luditur. Ita quotquot *Chriſtianiſmo*, quo educati eſſent, renunciant, *Mohammedi* nomina daturi, circumcidi coguntur. Coram judice Apoſtatæ primò comparent, & profitentur ſe fidem *Mohammedicam* amplexuros, petentes inſuper, ut in *Muſulmannorum* numerum cooptentur. Illico capita *detonderi* juſſum eſt: veſtes & tiaræ illis dono dantur, quandoque in plateis, quas *Chriſtiani* incolunt,

equo

equo vehuntur, ſpiculis, quæ manibus gerunt, armati; ſe ad fidem, quam de novo ſuſceperunt, periculo vitæ tuendam paratos eſſe innuentes. Pauci fortaſſe ſententiam judicis vafritie quâdam eludunt ex naturali quodã horrore, cum tanto dolori ſuſtinendo non ſint, & incircumciſi manent; ſenes præcipuè cui tale vulnus, ſi infligeretur, mortiferum futurum eſſet; uti, qui in cæteris ritibus obſervandis acerrimi ſunt zelotæ, ab hoc externo ſigno circumciſionis, quæ in puerilibus annis caſu omiſſa eſſet, quam maximè abhorrent, ſed ne hoc innoteſceret ſedulò cavent, ne tandem novaculam experiri inviti cogerentur.

Quinquies ſingulis diebus ordinariis ſolennes preces agere tenentur, horis ad id officii præſtitutis, quæ tamen pro variis anni tempeſtatibus aliquantillùm variantur; non enim in portiones eaſdẽ & ſemper æquales diem diſpeſcunt, nec horarum æquinoctialium uſum agnoſcunt, ſed pro longiori aut breviori ſolis ſupra horizontem morâ eas metiri ſolent:

lent. Tempora autem ſunt hæc, ad exortum ſolis, meridie, medio tempore inter meridiem & occaſum ſolis, ad occaſum ſolis, & ſeſquihorâ noctis. Unde ſingulæ preces à tempore, quo celebrantur, ſuas ſortiuntur appellationes, ut *Sabah namazi*, *oratio matutina*; *oile namazi*, *meridiana*; *Ikindi namazi*, *pomeridiana*, *Achſham namazi*, *veſpertina*, *Jatzi namazi*, *oratio ante decubitum*. Dies *Veneris* a cæteris non diſtinguitur, niſi quòd illo ſexies ad *Moſcheas* itum ſit; hinc dictus *Giumah Gun*, i. e. dies *conventûs*. Hoc enim die fiunt preces medio tempore inter exortum ſolis & meridiem, quas *Salah namazi* nuncupant. Quandoque etiam in majoribus templis poſt meridiem ejuſdem diei conciones habentur à quibuſdam, qui famam eruditionis & pietatis ſibi acquiſivêre, quo tempore *Alcoranum* explicant, & cum ingenti ſtrepitu & zelo auditores ad integritatem & honeſtatem morum hortantur. Sed hoc non fit ex canone, nec ordinariorum Sacerdotum mos aut officium: ſufficit ipſis quædam *Alcora-*

*ni*

*ni* capita prælegere,&ex eo notos quoſdam verſiculos recitare, & præſcriptâ precum formulâ uti; nihil ultra ad conſtituendum *ſacerdotem* requiritur. Inter hunc & alios dies non aliud intercedit diſcrimen. Hoc enim die in muniis civilibus obeundis occupantur; merces in foro & officinis veneunt, niſi quòd fortaſſe ſiqui inter ipſos majori ſuperſtitione laborent, illo tempore ſolennium precum, quod diei peculiare eſt, officinas & apothecas occludendas curent, dum ad templa ſe conferant, quæ ſtatim poſt reditum aperiuntur. Eadem eſt curſitatio per plateas, idem tumultus in foro, eadem licitatio mercium, idem veſtitus, nullam extra templum diei præ ſe reverentiam ferunt, officio ſuo abundè ſatisfactum putantes, ſi precibus illis interſint, cæremoniiſque præviis benè & ritè fungantur. *Menſe Ramazani*, quo ſolenne jejunium peragitur, aliqui duabus horis ante diem orationem *Temgid namaz*, quâ laudes *Dei* maximè recitantur, celebrant. Hic enim menſis ipſis ſacer

eſt,

Digitized by Google

eſt, quo ad majora pietatis officia exhibenda ſe teneri cenſent, uti mox oſtendam. Antequam vero preces ſive in *Moſcheis* ſive in ædibus privatis celebrent, variis lotionibus ſe luſtrant, hâc futili opinione ducti, omnem aliter precum ſuarum fructum periturum & evanidum fore, neque *Deum* eas exaudire velle, ſi abeſſent. Quâ de causâ ubique in plateis & in areis *Moſchearum* proſtant fontes & aquæ-ductus, in hunc uſum deſtinati. Neſcio an tanti ſit hujus luſtrationis, quam *Abdeſt* vocant, modum oſtendere. Primò manicis veſtium & linteaminum ſupra cubitum retractis; tollunt tantum aquæ, quantum ambarum manuum volæ capiunt, quas ter lavant; deinde digito indice in ſiniſtram oris partem immiſſo, & pollice in dextram, ter id quoque lavant; naribus aquâ inſufflatâ purgatis, leni frictione faciem à fronte ad mentum, & reciprocè à mento ad frontem ter abſtergunt; poſt, brachia ad cubitum uſque, quæ rectâ elevant ſine ulla inclinatione, ut aqua penitus de-

fluat

Digitized by Google

fluat, tiara ſublata, ſinciput totâ manu expanſâ à vertice ad frontem fricant: indice & medio digitis in cavitatibus aurium poſitis, & pollicibus pone aures, pedes quoque ad talos uſque, deniq; totum collum tribus digitis utriuſque manûs reverſis abluentes, hanc ceremoniam, precibus neceſſariò præmiſſam, & quæ omitti nequeat abſque ingenti piaculo & ſcandalo, abſolvunt. Hanc ſuperſtitioſam luſtrationem eſſe operoſam non ſine causâ ſuſpicaberis, ſed frequens uſus eam adeò facilem iiſdem reddidit, ut nec in hiſce purgationibus longùm morentur, nec in minimis errent, licet ferè aliud agere videantur.

Si quid noctu in ſomno iis accidat, aut alitèr, uti poſt naturæ exonerationem &c. totum corpus abluendum eſt. Ablutionem hanc appellant *Guſul*, antequam vero hæc fiat, ſe pollutos (*Genubler*) credunt, a precibus & à conventu ſacro, & etiam a negotiis & muniis civilibus obeundis abſtinentes, & ab eorundem aſpectu & converſatione cæteri etiam abhorrent, tanquam à re

prorſus

Digitized by Google

prorſùs infælicis & mali ominis. At quo pacto in arenoſis *Arabiæ* deſertis, aut tempore hiemali, quando flumina gelu conſtringuntur, hoc neceſſarium& fundamentale *Iſlamiſmi* præceptum obſervari poſſe quæres? num ergo ob defectum aquæ á precibus abſtinendum? ſanè vaferrimus *Impoſtor* ſuis contribulibus hac in re meliùs proſpexit; deficiente aquâ, arenâ, pulvere, vel quacunque terra friabili uti licet; eandem vim purgativam his ineſſe ſibiipſis perſuadent, & ſe uſu horum æquè mundos evadere credunt, ac ſi aquâ puriſſimâ & frigidâ, quâ maxime utuntur, niſi quod ægrotis calidam admiſcere indultum ſit, ſordes corporis defricaſſent. En veſaniam & væcordiam! hanc ablutionem, quam ideò appellant *Taharet*, i. e. *purificationem*, ad munditiem animæ quoque valere & flagitioſiſſimorum criminum, quorum rei ſunt, ſordes ita facile elui ſtultè opinantur; unde non mirandum erit, ſi in ſcelera quam maximè deteſtanda ruant, qui hanc impiiſſimam opinionem fovent, ſe nempe

pe pauculis aquæ frigidæ *aſperſionibus* ad priſtinam munditiem denuò reſtitui poſſe. Sed de *lotionibus* plus ſatis.

Hiſce peractis ad templa precum celebrandarum cauſâ ſtatim eunt. Ne verò erga *Deum* hoc pietatis officium negligat populus, & tempus orationis non ſibi conſtare cauſetur, cautum eſt à ſacerdote aut ejus miniſtris, (qui *Muezzin* appellantur) quibus id officii incumbit, ut tempus orandi jam inſtare proclament. Quo magis iſta proclamatio (*Ezân*) longiùs exaudiatur, in turrim quandam pyramidalem (*Menâr*) è lapide aut latere conſtructam, quæ *Moſcheæ* adjacet, aſcenditur, vel ſi deficiat, uti accidit in *Eccleſiolis*, in portâ earundem, vel in quocunque loco paulò altiori conſiſtunt, ubi cum variâ vocis quam maximè intenſæ modulatione, quam etiam multùm protrahunt, peculiari verborum formulâ, à quâ diſcedere nefas eſt, ad preces invitant. Vix credibile eſt quam longe cœlo ſereno hæc cantillatio pertingat, quâ defectus campanarum apud ipſos ſuppletur,



Digitized by Google

pletur. Forma autem verborum hæc eſt, *Deus magnus eſt*, *Deus magnus eſt*. *Confiteor non eſſe Deum præter Deum*. (quod bis quoque repetitur) *Confiteor Mohammedem eſſe nuncium Dei*. (item bis) *venite ad preces*, (bis) *venite ad cultum*, (bis) *Deus magnus eſt*, *Deus magnus eſt*, *non eſt Deus præter Deum*. Cui addere ſolet Præco tempore matutino, ut illos è veterno excutiat, *Orationem eſſe meliorem ſomno*, ac etiam jubere, ut *Phatiha*. i. e. initium ſeu primam *Alcorani ſuratam*, quâ frequentiſſimè utuntur, ut nos *Chriſtiani Oratione Dominicâ*, ſinguli continuò repetant. In *Imperatoriis Moſcheis*, quibus duæ aut plures turres inædificantur, (illa *Achmedi*, hodierni *Imperatoris avi*, *Conſtantinopoli* ſex habet) majori cum ſolennitate hoc præconium factum eſt, tribus aut quatuor ſimul & eodem concentu ex alto conclamantibus; ſed idem tenor verborum ab omnibus retinetur, idem toties repetendi mos, neque in hiſce minutiis ullibi variatum eſt.

Non

Non hic expectabis, ut ſtatas eorum preces, quas *Arabicè* celebrant, apponam. Hæ à plebe ob frequentem imò quotidianum uſum facilè intelliguntur; ut taceam innumera ferè vocabula *Arabica* in *Linguam Turcicam*, quæ valdè mixta eſt, nec pauciora à *Perſide* mutuatur, cooptari. Materia earum ſanè pia eſt, & quæ cultores religioſos decet, nec habeo quod damnem, niſi ubi contra *Chriſtianos* debacchentur, illúdque ſacratiſſimum *myſterium ſanctiſſimæ & individuæ Trinitatis* impiè & blaſphemè convellant, & divinitatem *beatiſſimi Salvatoris* noſtri negent; ſed ſi hæc agerem, volumen conſcribendum eſſet, non epiſtola.

Preces hæ duplici nituntur fundamento, *Alcorano* & *traditione*, quarum illæ (*Pherz*) à *Dei* præcepto fluunt; hæ (*Sunna*) à *Mohammedis* praxi & exemplo, quas ipſi pro genio illius addere placuit. Soli *Deo* ſupplicant, hujus omnipotentiam & ſupremum jus & authoritatem in omnes confitentur, nullas ad *Mohammedem* preces dirigunt,

nec ad ejus nomen genua flectunt, ut perperàm creditum fuit; *Deum* enim unicum hoc adorationis geſtu colunt. Inter precandum ſanè optant, ut *pax & miſericordia & benedictio Dei ſit ſuper ipſum*, quæ *Euphemia* in *Alcorano* Patriarchis & aliis ſanctiſſimis viris & prophetis, uti etiam beatiſſimo *Salvatori* noſtro, honoris gratiâ, data eſt. Interdum *Deum* expreſſè & penſiculatiùs rogant, ut *Ipſi & familiæ* ejus miſericors & propitius eſſe velit; nec alius honor ei defertur in officiis precum, niſi quòd eum nuncium eſſe *Dei* continuâ ferè repetitione agnoſcant; & ne deficiat hoc teſtimonium affectûs illorum erga hunc *Pſeudoprophetam*, à ſacerdote monentur, ut pro ipſo & ipſius ſociis orent.

Hiſce prælibatis, quàm ſe gerant toto cultûs divini tempore, & quibus cæremoniis utantur, quaſi præ oculis ponam. Et ſanè, ut verum fatear, non poſſum non mirari, quantâ oris modeſtia, quàm decoris geſtibus, quámque ingenti reverentiâ ſacrum hunc cul-

tum

tum peragant. Tempore *Ramazani* in *templo novo*, nuper à *Reginâ* hujus *Imperatoris* matre exſtructo, precibus veſpertinis,quibus jejunium diurnum ſolvebatur, ſemel interfui. Forte tria millia hominum illic ad orandum convenerant. Ingreſſus portam, ne minimum quidem ſcreatum audire potui, neminem ſenſi tuſſientem, aut oſcitantem, aut aliud agentem, ſed omnes ex æquo ſacris officiis intentos, & maximâ cum attentione precibus & *Alcorano* à ſacerdote prælectis auſcultantes, ut ſi modo ipſe ſiluiſſet,non homines ſed ſtatuas eſſe aliquis ſuſpicaretur. Etiam dum ſeorsìm privatas preces obeunt, eandem præ ſe ferunt reverentiam: geſtus verò ſunt diverſi, ex canone enim neceſſariò requiritur, ut *Ikamat*, ſtàtiones, *Rekaat*, inclinationes corporis, *Segiedât*,proſtrationes ad terram, *Kuudât*, ſeſſiones, quæ poſt binas quaſque proſtrationes fiunt; *Kerat*, recitationes quorundam verſiculorum ex *Alcorano* deprompt orum, *Teſhabud*, ſolennes formulæ illius de unitate *Dei*, &

de *Apoſtolatu Mohammedis* repetitiones, & ſalutationes (*Teſhlimat*) Angelorum concurrant ad conſtituendum perfectè hoc orationis debitum.

Facie *Meccæ* obverſâ precaturi, erecto corpore ſtant, niſi quod caput paulò inclinent, oculis in terram defixis, & manibus ad pectus in modum crucis appoſitis, ſine vel aliquo motu, quaſi in lapides, ut dictum eſt, obriguiſſent. Dein aliquo ſpatio intercedente poſt *Tekbir* i. e. μεγάλυνσιν τοῦ Θεοῦ ſubinde capita inclinant & genua flectunt, & ſe pronis corporibus proſternunt in pavimentum, ſtoreis aut tapetibus ſtratum, crebris vicibus; neque enim harum adorationum numerus mihi ſuppetit, quem opinor non eſſe præciſè determinatum, cum ipſe ſæpe non omnes eodem numero uſos eſſe perſpexerim; pòſt cruribus decuſſatis & manibus ſuper genua poſitis aſſident, ſed non eodem modo, quo ad convivia diſcumbitur, pede nimirum & calcaneo dextro jam erectiori, geſtu non adeo commodo. Tranſeunt à geſtu ad ge-

ſtum

ſtum facilè quidem ex uſu & prout precum ratio exigit, jam hoc, ſtatim illo utentes. Præterea inter orandum caput verſus alterutrum humerum motitant. Quidam opinantur *Mohammedem* promiſiſſe ſe tempore precum tandem ipſis revelandum eſſe & appariturum, ideo hoc in utramque partem motu ſe ipſius adventum expectare teſtantur, quaſi à tergo ipſorum eſſet. Sed à pereruditο Viro *Alberto Bobovio*, quem, ſi quod dubium occurreret, conſulere ſolitus ſum, tandem didici illos tunc *Angelos* cuſtodes, quos humeris ſuis aſſidere pro fatuitate ſuâ credunt, oratione quâdam præſcripta ſalutare. Corollis ſive globulis precatoriis etiam inter orandum utuntur, quibus ejaculationum quarundam numerum, ut *Sabhân Allah*, *Benedictus ſit Deus*, *Allah Ecber*, *Deus magnus eſt*, *Alhemdolillah*, *Laus Deo*, *Biſmillah*, *in nomine Dei*, metiuntur. Harum ſingulæ uſitatò trigeſiès, interdum centies, uti etiam varia nomina *Dei*, ut *Hakka*, &c. repetuntur. Alias cum ingenti boatu &



Digitized by Google

vociferatione multoties acclamant, *Hu, Hu*, quod eſt nomen *Dei*, & plerumque magnorum templorum parietibus inſcriptum. In Templo *Sanctæ Sophiæ* ſex aut ſeptem ſacerdotes uſque ad ravim frequentiſſimâ repetitione vociferantes audivi, *Nos credimus, nos credimus*, quaſi *Deum* clamore adeo feroci & incondito fatigandum eſſe crediſſent.

In hiſce ritibus externis tota eorum religio quodammodo poſita videtur, quos quamplurimi privatis ædibus ex deſidia peragere malunt, ſemel aut bis tantum in ſeptimana templa ingredientes, ne impietatis nota ipſis inureretur. Alii autem, qui ſe pro ſanctis venditant, non ſine ingenti reatu haſce preces omiſſas credunt, qui ideo ab equis in itinere deſcendere ſolent, & in plateis, in areis, in ſylvis & campeſtribus, in litore, ſive quocunque in loco adeſſe contigerit, ſe ad eaſdem celebrandas accingunt. Quorum multos à turpi & ridiculâ hypocriſi vix abſolvendos puto, & *Te* in meam ſententiam iturum non dubito, poſtquam hanc

ſubſe-

ſubſequentem narratiunculam reſciveris. Quinque ex opulentioribus *Turcis*, (porcis ad lanienā ſaginandis) qui munera quædam publica procurarunt, in noſtris ædibus à *Domino Legato* convivio excepti erant. Illic vinum & liquores diſtillatos ſtrenuè admodum bibunt; (horū enim gratiâ præcipuè venerant.) Tempore prandii ſe profanè & impiè agere, qui tot pocula vini, à *Prophetâ* ſuo adeò ſeverè vetiti, exhaurirent, prorſus deriſoriè ajebant: ſed bibunt interim. Utcunque poſtquam à vicinâ turri ad preces proclamatum eſſet, ut nobis ſe eſſe *Muſulmannos*, licet illo tempore à lege *Mohammedicâ* adeò turpiter defecerint, melius innoteſceret, cum planè vino onuſti eſſent, in area noſtra tapetem ſuper terram ſtratum eſſe voluêre, ibique coram nobis geſtibus illis, quos ſupra memoravi, uſi ſunt. Nec hoc apud ipſos rarum aut inuſitatum eſt, præſertim in locis, ubi vel *Turcæ* vel *Chriſtiani* frequentes concurrunt, ut hoc fallaci & hypocritico cultu pietatis & zeli famam aucuparentur. Inter fundamenta

menta *Legis Iſlimicæ* etiam recenſetur jejunium illud, quod ſingulis annis menſe *Ramazani* celebrant. Cum vero anni, quibus tempora calculantur, ſint prorſus lunares, neceſſe eſt, ut hoc jejunium undecim diebus verſus initium anni quotannis retrocedat, & totus circulus ſpatio præter propter triginta trium annorum abſolvatur. In ſtatuendis menſium initiis, non ad lunæ coitum, ſed phaſin ſolam reſpiciunt; incipiunt ergo menſem uno die citius aut tardius, prout ſe illa videndam exhibet; interdum hora noctis duodecima (prout nos numeramus) *Conſtantinopoli* lampades accendi juſſum eſt, poſtquam ab oculatis quibuſdam teſtibus, qui rure vel prope litus maris, ubi liberiori *Horizonte* frui datum erat, urbem petiere, certo conſtiterit lunam illa nocte apparuiſſe. Attamen ne nimia confuſio oriatur, ſi modo cœlum nubibus aut pluviâ ſit obſcuratum, menſem ineundum ſtatuunt, cum hæ impedimento ſint, ne illuceſcat. Quâ primum viſâ *Deo* preces offerunt corpore inclinato, faciem

&

& barbam affricantes. Toto hoc menſe, dum ſol ſupra *Horizontem* moratur, à cibo & potu abſtinendum eſt; ne minimam quidem aquam deguſtare licet, quod æſtate valdè moleſtum eſt, ſed hoc quicquid eſt moleſtiæ, vi ſuperſtitionis ſubacti, libenter ſubeunt. De *Turcis* naturalibus, hoc eſt, de iis qui à parentibus *Mohammedanis* oriundi ſunt, loquor; hi enim ſiti tabeſcere & mori mallent, quam tale piaculum admittere, licet nemo conſcius eſſet. Tantâ cum reverentia, & fide, & conſtantiâ hoc *Mohammedis* preceptum colunt, ut ipſi milites (rude & efferum illud genus hominum, præſertim apud *Turcas*) hoſtibus manus conſerturi, à cibo & potu olim adeo abhorruerint, uti exemplo *Imperatorum* præeunte & potentiori neceſſitate, ut impetus bellicos fortius ſuſtinerent, quibus languente ſtomacho impares futuri eſſent, & authoritate *Muftii* ſpondentis longe acceptius *Deo* eſſe in defendendâ religione contra *Chriſtianos* fortiter dimicare, quàm tali caſu hoc præceptum ſervare,

vix ſibi illud licere perſuaſum eſſe paſſi fuerint. *Apoſtatæ*, qui hanc impietatem amplexi ſunt,ut in profundo vitiorum& ſpurcitiarum cœno ſecuriùs & abſque conſcientiæ ſtimulis ſe volutent, non adeo ſeverè agunt, &, ſi abſtineant, ſolus pænæ metus in causâ eſt. Licet enim non ſit capitale crimen hoc ſolennis jejunii tempore bibere & comedere,tamen quiſquis appetitui hâc ex parte indulſiſſe coram Judice convictus eſt, pro profano habetur, & fuſtigationis pænam ſubit; deinde quadraginta dierum continuum jejunium ſibi imponere debet expiationis causâ. Terret quoque triſte exemplum cujuſdam ebrii, in cujus guttur & aures plumbum liquefactum effundendum curavit *Naſſuf* ſub *Achmete* olim primarius *Vizirius*. Sed fruſtra ſumus,ſi hoc totali jejunio luxuriem *Turcarum* repreſſam & caſtigatam opinemur, hinc enim accenditur & novas acquirit vires. Poſtquam enim ſub dio in excelſiori turrium parte accenduntur lampades ( quod fit ſingulis hujus menſis noctibus poſt ſolis occaſum)

ſum) vario ordine diſpoſitæ & triremium & florum figuram variâ combinatione referentes, & a templis, à quibus ſine notâ impietatis tunc temporis vix quiſquam abeſt, domum repetunt, gulæ & ingluviei indulgent, totámque noctem conviviis & commeſſationibus terunt. Ferè per diem dormitur, modo fiat abſque rei domeſticæ præjudicio, noctéſque inverſo naturæ ordine in dies tranſeunt. Sed quale jejunium hoc eſt! quàm ridiculum & pudendum! quod luxu & ſpurcitie ſolvitur.

Cum ægrotis & iter facientibus hâc in re diſpenſatum eſt, nec iidem illius religione tenentur, ſub hâc nimirum conditione, ut valetudine reſtitutâ, & itinere confecto, alio tempore totidem dies jejunent. Non deſunt qui jejunandi tempus, ſtultâ apud *Deum* meriti opinione, menſe ſuperiori incipiunt, ſed non ultra limitem finalem à *Mohammede* fixum extendendum eſt: nemo impubis ex lege tenetur, licet pueros ſeptennes aut octennes, ut huic jejunio tandem aſ-

ſueſcerent,

Digitized by Google

ſueſcerent; biduo aut triduo vicibus intermiſſis, abſtinere velint, prout ætas & vires eorum ferunt. Hoc menſe ſibi de cœlo deſcendiſſe *Alcoranum* fabulatus eſt impuriſſimus *Impoſtor*, & hujus gratia omni ævo ſacrum eſſe juſſit. Cui precepto ut ſatisfiat, gens barbara & ſuperſtitioſa ingentem præ ſe fert & ſimulat pietatem, & templa plus ſolito frequentat, & qui per reliquam anni partem preces publicas neglexiſſe viſus eſt, illum neglectum duplicatâ diligentiâ redimere curat. Ultimus hujus menſis dies luctui & næniis ob defunctos parentes & amicos à quibuſdam devovetur, quorum ſepulchra minio anteà ſignata, ut ea melius norint, viſitare, illicque preces & ſuffragia pro animabus illorum, ut illis benè ſit, effundere ſolent: quaſi cæremonia dies & jejunium ſimul abſolvuntur.

Appetente novâ Lunâ incipit feſtum *magni Birami*, quod triduo durat. Mirum quantâ ſolennitate celebratur. Primo die tormenta bellica diſploduntur, pulſanturque tympana, & muſicâ & cantionibus

cantionibus tota urbs reſonat; cum aliàs inceſſu graves ſint & ſubtriſti vultu, jam luſibus & ſaltationi indulgent, illos, quibus fiunt obviam, aquâ odoratâ aſpergunt, ſeque gratos ac hilares comites præbent, quaſi cum novis veſtibus & tiaris novam quoque naturam & indolem induiſſent. Hinc mutuæ ad convivandum invitationes & munera reciproca. Hoc temporc etiam ferè innumeras oves mactant; *Kurban* ſive *ſacrificium* appellitant, quo *Deum* placari & propitium reddi credunt. Quiſque ſibi *ſacerdos* eſt, & in privatis ædibus id fieri licet. Mactatas & in partes ſectas pauperibus diſtribuunt, (neq; enim minima pars earundem ſibi in proprium uſum debet reſervari, aliter non *Deo* in placamentum futuras) uti neque hunc effectum ſortituras eſſe haſce victimas credunt, niſi nummis probis & honeſte partis emerentur; ſi enim aliquis eos ſibi dolo vel vi comparaverit, vel ſi venditori adulterâ pecuniâ imponeretur ac fraus fieret, illico perit ſacrificii meritum: ſed quam fœlices ſint hæ præ cæteris

teris oves, quas ideò Paradiſum ingreſſuras fingunt, credo ne ipſis deficeret alimentum, aut in mediis deliciis præ fame mori cogerentur.

Poſt elapſos ſeptuaginta dies occurrit feſtum *parvi Birami*, quod non tantâ cum pompa talibúſque triumphis celebratur. Spatio interveniente, *Peregrini* ex diverſis Imperii provinciis *Meccam* verſus iter faciunt, ut ineunte hoc feſto urbem illam ſimul ingrediantur; ſed de hâc ſolenni viſitatione *tumuli Mohammedis* poſtea, ſi requiras, dicendum erit. Præter hos ſunt alii dies feſti, quos breviter enumerabo:

1. Decimâ nocte *Moharremi* agitur feſtum *Eſher Aſh* ſive decem ciborum è frumento, ovis, nucibus, amygdalis, &c. tales enim hâc nocte coquunt, & vicinis bellariorum vice dant.

2. Duodecimâ nocte lunæ *Rabbiæ* prioris *Mulud*, natalis *Mohammedis* celebratur; Hâc nocte lampades in *Moſcheis* accendunt, in ſignum lætitiæ & triumphi, ipſius nomen, omni elogiorum genere, hoc præſertim tempore, colentes.

es. Quali pudore ſuffundi debent ii ex *Chriſtianis*, niſi frons ipſis plane obduruerit, qui beatiſſimos *Salvatoris* noſtri natales nolunt celebrare, quaſi redoleret ſuperſtitionem! quam illorum pervicaciam, ne dicam impietatem, damnat hæc *Mohammedanorum* praxis!

3 Primâ nocte diei Veneris *Regeb*, feſtum *Regaib*. i. e. *rerum expetitarum*. Hâc nocte eaſdem preces, quas *Impoſtorem* compoſuiſſe volunt, repetunt. Hoc etiam cum accenſione lampadum celebratur.

4. Viceſimâ nocte ejuſdem menſis feſtum (*Meiratch*) *aſcenſionis Mohammedis* in cœlum. Hanc enim craſſam fabulam, tanquam rem certiſſimam & oraculum, firmiſſimâ fide admittunt & amplectuntur.

5. Decima quinta nox *Shaaban* dicta eſt *Barat Ghege*, i. e. *nox Privilegii*, quâ fingunt de cœlo deſcendiſſe gladium in manum *Mohammedis*, & *Chriſtianos* occidendi privilegium conceſſum eſſe.



Digitized by Google

6. Viceſima ſeptimâ nocte *Ramazani* agitur peculiare feſtum *deſcenſus Alcorani*: ob hujus noctis honorem totum menſem ſacrandum eſſe juſſit *Mohammedes*, ut paulo ante notatum erat. Et ut hâc nocte precibus toti vacarent, id privilegii additum eſſe ſomniant, quicquid à *Deo* petunt, à *Jatzi*, i. e. ſeſquihorâ noctis, *uſque dum aperiatur æther*, (ut illorum phraſi utar) id ipſum concedendum eſſe. Quâ de cauſâ oratio hæc peculiari nomine dicta eſt *Kadar Namas*. Ita conſtat *gentem Turcicam* in aliquibus diebus ſtatis lætitiæ & publico cultui aſſignandis, cum reliquâ mundi parte, niſi quæ planè bruta ſit, & vix aliquem ſenſum religionis habeat, (nec hic tamen omnes excipio *Americanos*) convenire, cui non ſufficit templa die *Veneris* adire, niſi hæ quoque anniverſariæ Feriæ eâdem, ſi non majori, curâ & reverentiâ colantur.

Eorum, qui rebus ſacris obeundis & procurandis adhibentur, diverſi gradus ſunt, quorum præcipuus eſt *Muftius*, qui omnibus ſupereminet. Hunc nun-

Digitized by Google

uncupant magiſtrum ſeu doctorem re-
igionis *Iſlimicæ*, & hæredem doctrina-
um, quas *Prophetæ* & *Mohammedes*
æterique à *Deo* miſſi revelarunt. Ad
unc tanquam ad ſupremum Judicem
onfugiunt, ſi qua controverſia in re-
imine Eccleſiaſtico ordinando aut in
religionis negotiis oriatur; cujus ſen-
tentia (*Fetfa*) rata habetur, nec poſt ip-
ſius deciſionem iterum de re jam con-
troverſâ dubitare aut contra facere fas
eſt. Tanti æſtimant ipſius authoritatem,
ut decretis ipſius reverentèr auſcultent,
& avidas & faciles aures ipſius dictatis &
inſomniis præbeant, eúmque ingenti
cultu venerentur, tanquam alterum *Mo-
hammedem*. Ipſe *Imperator* illi aſſurgit,
eíque ſeptem paſſus it obviam, quando
in ipſius præſentiam introducitur, cui
ſoli permiſſum eſt honoris gratiâ ſini-
ſtrum ipſius humerum oſculari; cum
*Vizirius* primarius profundiori reve-
rentiâ fimbriam veſtis oſculetur, ad-
verſus quem non niſi tres paſſus pro-
gredi ſolet. Ipſius opera in conſiliis
privatis utitur *Imperator*, nec aliquod

bellum aut rem qualemcunque alicujus momenti aggreditur, niſi illo prius conſulto, ut populo & militibus fucum faciat, quo libentius ad ea exequenda concurrant, omnia ritè procedere, cum tam ſanctâ ſententiâ firmentur. Non ſuffragiis eligitur *Muftius* ad hunc *Pontificatum*, ſed ab *Imperatore* promovetur, cui ſoli competit hæc prærogativa, licet uſitatò unus è *Cadileskiriis* in locum emortui *Muftii* ſuccedat, quod fit arbitrio *Imperatoris*, & ſi ipſi commodum videbitur. At quid ſi, præfracta obſtinatione mentis, *Imperatoris* voluntati ſe ſubmittere nolit, aut illius conſilia, ſcrupulis interjectis, perturbet; iiſq; refragetur? Remedium præſto eſt, delirus dicitur & à prudentiâ & ſanctitate ſimul decidere cenſetur, nec dignus habetur, qui hâc ſupereminenti Authoritate, quâ neſcit bene & recte uti, diutius fruatur: illico dejicitur & exauctoratur, alteri cedere coactus, qui quibuſcunq; *Imperatoris* placitis ſine examine aut morâ ſubſcribat, eaque, tanquam eſſent *Dei* oracula, credenda proponat.

onat. Semper comitatur *Imperatorem* *luftius*, ab ejus latere nunquam diſce-ens, ut ſic habeat, ſiqua nova difficul-s oriatur, quem conſulere poſſit. Illum ero eſſe è poſteris *Mohammedis* non ne-eſſe eſt, ut quidam aſſerunt, cum hanc gnitatem cuilibet patere, prout *Impe-atori* lubet, certò mihi conſtet.

roxime *Muftium* ſunt duo *Cadileskirii*, *nadoli*, & *Rumili*, i.e. *Anatolicus* & *Thra-cus*; hujus autem poſterioris authori-is quaquaverſum ad omnes *Europæ* re-iones, quibus dominatur *Turca*, proten-itur. Hi olim (quod titulus indicat) e-int *Judices* militares, exercitum in ex-editionibus bellicis ſecuti, penes quos tes inter milites ortas decidendi, & os, ſi criminum adverſus diſciplinam & ges belli admiſſorum rei eſſent, mor-e mulctandi jus ſtetit. Hodie *Vizirio* & jus *deputato* in cauſis civilibus deciden-is aſſiſtunt, nullamque in milites po-eſtatem exercent, quibus hoc privile-ii datum eſt, ut ad ſola ductorum & fficialium ſuorum tribunalia ſiſtendi int. Hiſce præfertur (*Tug*) haſtile

 quod-

quoddam, in cujus extremâ parte appenduntur ſetæ equinæ in ſignum dignitatis, ad quam ornandam & tuendam quingentos aſpros, juxta canonem ab *Imperatore Suleimano* ſtabilitum, è fiſco pro diurno ſtipendio recipiunt.

Tertium locum ſibi vendicant *Mulai*; Hi ſub *Baſſis* ſunt judices & præſides provinciarum, in quarum præcipuis civitatibus reſident, quibus *Cadii* ſive inferiores judices in reddenda muneris, quod ſuſtinent, ratione obnoxii ſunt. Stipendiũ quoq; diurnũ, quod nunquam tercentum aſpris minus eſt, nec ad quingentos aſſurgit, ex publico ærario ſuppeditatur, quo ſplendidè vivant, nec ad artes ſordidas deſcendere cogantur, neque largitionibus corrupti jus & æquum pervertant. Aliquod etiam à litigantibus, pro ratione ſummæ, de qua lis oritur, perſolvendum eſt. Sed non ita judicum avaritiæ ſatisfit, qui ex utraque parte pecunias & dona extorquere ſolent; His enim, melius quam argumentis, muniuntur cauſæ. In *Turcia*, ſi alicubi terrarum, juſtitia venalis proſtat. Li

t enim judices religionem præ ſe fe-
nt in definiendis litibus, tamen ſunt
rruptiſſimi mortalium, & profligatiſ-
ıæ conſcientiæ, ſibi pro ſcuto adver-
; populum ſubtiles *Alcorani* & *Sunnæ*
e traditionis tricas objicientes, qui-
s ſe ab infamia & reatu injuſtitiæ
orſus liberari credunt. Ex *Mulais* fi-
t *Cadileskirii*, uti ex his *Muftius:* un-
in numero *Eccleſiaſticorum* recen-
ıdi mihi videntur, licet in *Moſcheis*
ıil habeant quod agant,& judicum ci-
ium perſonam planè ſuſtineant.
Qui ſacris fungitur in *Moſcheis*, di-
ıs eſt *Imâm*; in *Regiis* multi ſunt, qui
muneris inter ſe dividunt, at ordi-
riis unus tantum præficitur. Si qua-
doctrina in hujuſmodi candidatis,
tequam promoveantur ad *eccleſiæ*
ram & regimen, requiratur, qualia
ıdia aliquem huic officio præſtando
oneum reddant, ſi non aliquantillum
pere ſupra plebem oporteat, quiſ-
is ſacerdotium ambit, interroges, ſa-
de hiſce non ſunt valdè ſoliciti; ſuf-
it, ut prius dictum erat, ſi preces le-

gere, ſi ſcribere, ſi quoſdam verſiculos ex *Alcorano* petitos recitare poſſit. E fæce vulgi quandoque eliguntur, modo ſint vitæ probæ. *Vizirius* primarius habet jus patronatûs in quamplurimas eccleſias; *Muftius* etiam ſibi idem jus vendicat in alias; *Kizlir Aga* ſive *Eunuchus iſte niger*, virginum cuſtos, curam agit ſucceſſionum in loca defunctorum, qui in *Regiis Moſcheis* miniſtrarunt; *Capi-Aga* ſive præfectus ephceborum iis templis, quæ condidere, quotquot ſub illius aut Anteceſſorum curâ in *palatio Regio* educabantur, proſpicit. Aliis *parochiis* minoris momenti, quæ non ad ſpecialem cujuſquam juriſdictionem ſpectant, licet populo quemlibet commendare. Qualemcunque vero titulum ſibi acquiſiverit, cum literis teſtimonialibus coram *Vizirio*, aut ejus *Vicario* comparere debet, aut ſaltem *Procurator* ipſius, ut ab ipſo confirmetur.

Quam ingens ſit horum ſacerdotum numerus, facilè licet colligere ex numero templorum, quæ ubivis proſtant.

Non

Non multum aberrarem a vero, ſi dixero *Conſtantinopoli*, *Peræ*, *Galatæ*, cæteriſque in locis *Boſporo* adjacentibus numerum ſupra mille aſſurgere poſſe. Rure, ubicunque incolæ ſunt *Turcæ*, ( nam ex privilegio indultum eſt quibuſdam *Chriſtianis*, ſeorſim ſine admixtione *Turcarum* vivere, cujuſmodi ſunt duodecim vici, decem milliaribus aut circitèr à *Conſtantinopoli* diſſiti, quorum habitatoribus incumbit, ne confluxio aquarum impediatur, & ne cæno impleantur canales, quo minus ad magnificos illos *aquæductus* ( quos ſuo nomine verè dignos inſtauravit *Suleimanus* magnificus ille *Imperator*) tandemque poſt multos flexus in urbem tranſire poſſint) licet vicus ſit ignobilis & perobſcurus, illic templum erectum eſt, ſi ſit paulò largior, duo aut tria. Hæc omnia ſuos habent reditus, quibus a *Fundatoribus* dotantur: nemini enim templum exſtruere, niſi hâc conditione, licet. Ut vero ordo inter ſacerdotes ſervetur, in qualibet celebriori civitate, puta

teris oves, quas ideò Paradiſum ingreſſuras fingunt, credo ne ipſis deficeret alimentum, aut in mediis deliciis præ fame mori cogerentur.

Poſt elapſos ſeptuaginta dies occurrit feſtum *parvi Birami*, quod non tantâ cum pompa talibúſque triumphis celebratur. Spatio interveniente, *Peregrini* ex diverſis Imperii provinciis *Meccam* verſus iter faciunt, ut ineunte hoc feſto urbem illam ſimul ingrediantur; ſed de hâc ſolenni viſitatione *tumuli Mohammedis* poſtea, ſi requiras, dicendum erit. Præter hos ſunt alii dies feſti, quos breviter enumerabo:

1. Decimâ nocte *Moharremi* agitur feſtum *Eſher Aſh* ſive decem ciborum è frumento, ovis, nucibus, amygdalis, &c. tales enim hâc nocte coquunt, & vicinis bellariorum vice dant.

2. Duodecimâ nocte lunæ *Rabbiæ* prioris *Mulud*, natalis *Mohammedis* celebratur; Hâc nocte lampades in *Moſcheis* accendunt, in ſignum lætitiæ & triumphi, ipſius nomen, omni elogiorum genere, hoc præſertim tempore, colentes.

ſ. Quali pudore ſuffundi debent ii ex
*riſtianis*, niſi frons ipſis plane ob-
ruerit, qui beatiſſimos *Salvatoris* no-
i natales nolunt celebrare, quaſi re-
ïeret ſuperſtitionem! quam illorum
:rvicaciam, ne dicam impietatem,
mnat hæc *Mohammedanorum* prax-
!

3 Primâ nocte diei Veneris *Regeb*,
ſtum *Regaib*. i. e. *rerum expetitarum*.
âc nocte eaſdem preces, quas *Impoſto-
m* compoſuiſſe volunt, repetunt. Hoc
iam cum accenſione lampadum cele-
atur.

4. Viceſimâ nocte ejuſdem menſis fe-
ım (*Meiratch*) *aſcenſionis Moham-
:dis* in cœlum. Hanc enim craſſam fa-
ılam, tanquam rem certiſſimam & o-
culum, firmiſſimâ fide admittunt &
nplectuntur.

5. Decima quinta nox *Shaaban* dicta
t *Barat Ghege*, i. e. *nox Privilegii*,
ıâ fingunt de cœlo deſcendiſſe gladi-
ıı in manum *Mohammedis*, & *Chriſti-
ıos* occidendi privilegium conceſſum
le.



Digitized by Google

6. Viceſima ſeptimâ nocte *Ramazani* agitur peculiare feſtum *deſcenſus Alcorani*: ob hujus noctis honorem totum menſem ſacrandum eſſe juſſit *Mohammedes*, ut paulo ante notatum erat. Et ut hâc nocte precibus toti vacarent, id privilegii additum eſſe ſomniant, quicquid à *Deo* petunt, à *Jatzi*, i. e. ſeſquihorâ noctis, *uſque dum aperiatur æther*, (ut illorum phraſi utar) id ipſum concedendum eſſe. Quâ de cauſâ oratio hæc peculiari nomine dicta eſt *Kadar Namas*. Ita conſtat *gentem Turcicam* in aliquibus diebus ſtatis lætitiæ & publico cultui aſſignandis, cum reliquâ mundi parte, niſi quæ planè bruta ſit, & vix aliquem ſenſum religionis habeat, (nec hic tamen omnes excipio *Americanos*) convenire, cui non ſufficit templa die *Veneris* adire, niſi hæ quoque anniverſariæ Feriæ eâdem, ſi non majori, curâ & reverentiâ colantur.

Eorum, qui rebus ſacris obeundis & procurandis adhibentur, diverſi gradus ſunt, quorum præcipuus eſt *Muftius*, qui omnibus ſupereminet. Hunc nun-

Digitized by Google

ncupant magiſtrum ſeu doctorem re-
;ionis *Iſlimicæ*, & hæredem doctrina-
m, quas *Prophetæ* & *Mohammedes*
terique à *Deo* miſſi revelarunt. Ad
nc tanquam ad ſupremum Judicem
nfugiunt, ſi qua controverſia in re-
mine Eccleſiaſtico ordinando aut in
ligionis negotiis oriatur; cujus ſen-
atia(*Fetſa*)rata habetur, nec poſt ip-
s deciſionem iterum de re jam con-
overſâ dubitare aut contra facere fas
:. Tanti æſtimant ipſius authoritatem,
decretis ipſius reverentèr auſcultent,
avidas& faciles aures ipſius dictatis&
ſomniis præbeant, eúmque ingenti
ltu venerentur, tanquam alterum *Mo-*
*ımmedem.* Ipſe *Imperator* illi aſſurgit,
que ſeptem paſſus it obviam, quando
ipſius præſentiam introducitur, cui
li permiſſum eſt honoris gratiâ ſini-
um ipſius humerum oſculari; cum
*zirius* primarius profundiori reve-
ntiâ fimbriam veſtis oſculetur, ad-
rſus quem non niſi tres paſſus pro-
edi ſolet. Ipſius opera in conſiliis
ivatis utitur *Imperator*, nec aliquod

 bellum

bellum aut rem qualemcunque alicujus momenti aggreditur, niſi illo prius conſulto, ut populo & militibus fucum faciat, quo libentius ad ea exequenda concurrant, omnia ritè procedere, cum tam ſanctâ ſententiâ firmentur. Non ſuffragiis eligitur *Muſtius* ad hunc *Pontificatum*, ſed ab *Imperatore* promovetur, cui ſoli competit hæc prærogativa, licet uſitatò unus è *Cadileskiriis* in locum emortui *Muſtii* ſuccedat, quod fit arbitrio *Imperatoris*, & ſi ipſi commodum videbitur. At quid ſi, præfracta obſtinatione mentis, *Imperatoris* voluntati ſe ſubmittere nolit, aut illius conſilia, ſcrupulis interjectis, perturbet; iiſq; refragetur? Remedium præſto eſt, delirus dicitur & à prudentiâ & ſanctitate ſimul decidere cenſetur, nec dignus habetur, qui hâc ſupereminenti Authoritàte, quâ neſcit bene & recte uti, diutius fruatur: illico dejicitur & exauctoratur, alteri cedere coactus, qui quibuſcunq; *Imperatoris* placitis ſine examine aut morâ ſubſcribat, eaque, tanquam eſſent *Dei* oracula, credenda proponat.

ponat. Semper comitatur *Imperatorem Muftius*, ab ejus latere nunquam diſcedens, ut ſic habeat, ſiqua nova difficultas oriatur, quem conſulere poſſit. Illum vero eſſe è poſteris *Mohammedis* non neceſſe eſt, ut quidam aſſerunt, cum hanc dignitatem cuilibet patere, prout *Imperatori* lubet, certò mihi conſtet.

Proxime *Muftium* ſunt duo *Cadileskirii*, *Anadoli*, & *Rumili*, i. e. *Anatolicus* & *Thracicus*; hujus autem poſterioris authoritas quaquaverſum ad omnes *Europæ* regiones, quibus dominatur *Turca*, protenditur. Hi olim (quod titulus indicat) erant *Judices* militares, exercitum in expeditionibus bellicis ſecuti, penes quos lites inter milites ortas decidendi, & eos, ſi criminum adverſus diſciplinam & leges belli admiſſorum rei eſſent, morte mulctandi jus ſtetit. Hodie *Vizirio* & ejus *deputato* in cauſis civilibus decidendis aſſiſtunt, nullamque in milites poteſtatem exercent, quibus hoc privilegii datum eſt, ut ad ſola ductorum & officialium ſuorum tribunalia ſiſtendi ſint. Hiſce præfertur ( *Tug* ) haſtile

quoddam, in cujus extremâ parte appenduntur ſetæ equinæ in ſignum dignitatis,ad quam ornandam & tuendam quingenros aſpros, juxta canonem ab *Imperatore Suleimano* ſtabilitum, è fiſco pro diurno ſtipendio recipiunt.

Tertium locum ſibi vendicant *Mulai*; Hi ſub *Baſſis* ſunt judices & præſides provinciarum , in quarum præcipuis civitatibus reſident, quibus *Cadii* ſive inferiores judices in reddenda muneris, quod ſuſtinent, ratione obnoxii ſunt.Stipendiũ quoq;diurnũ, quod nunquam tercentum aſpris minus eſt, nec ad quingentos aſſurgit, ex publico ærario ſuppeditatur, quo ſplendidè vivant, nec ad artes ſordidas deſcendere cogantur, neque largitionibus corrupti jus & æquum pervertant. Aliquod etiam à litigantibus, pro ratione ſummæ, de qua lis oritur,perſolvendum eſt. Sed non ita judicum avaritiæ ſatisfit, qui ex utraque parte pecunias & dona extorquere ſolent ; His enim, melius quam argumentis, muniuntur cauſæ. In *Turcia*, ſi alicubi terrarum, juſtitia venalis proſtat. Li

cet enim judices religionem præ ſe ferant in definiendis litibus, tamen ſunt corruptiſſimi mortalium, & profligatiſſimæ conſcientiæ, ſibi pro ſcuto adverſus populum ſubtiles *Alcorani* & *Sunnæ* ſive traditionis tricas objicientes, quibus ſe ab infamia & reatu injuſtitiæ prorſus liberari credunt. Ex *Mulais* fiunt *Cadileskirii*, uti ex his *Muftius*: unde in numero *Eccleſiaſticorum* recenſendi mihi videntur, licet in *Moſcheis* nihil habeant quod agant, & judicum civilium perſonam planè ſuſtineant.

Qui ſacris fungitur in *Moſcheis*, dictus eſt *Imâm*; in *Regiis* multi ſunt, qui id muneris inter ſe dividunt, at ordinariis unus tantum præficitur. Si qualis doctrina in hujuſmodi candidatis, antequam promoveantur ad *eccleſiæ* curam & regimen, requiratur, qualia ſtudia aliquem huic officio præſtando idoneum reddant, ſi non aliquantillum ſapere ſupra plebem oporteat, quiſquis ſacerdotium ambit, interroges, ſanè de hiſce non ſunt valdè ſoliciti; ſufficit, ut prius dictum erat, ſi preces le-

gere, ſi ſcribere, ſi quoſdam verſiculos ex *Alcorano* petitos recitare poſſit. E fæce vulgi quandoque eliguntur, modo ſint vitæ probæ. *Vizirius* primarius habet jus patronatûs in quamplurimas eccleſias; *Muftius* etiam ſibi idem jus vendicat in alias; *Kizlir Aga* ſive *Eunuchus iſte niger*, virginum cuſtos, curam agit ſucceſſionum in loca defunctorum, qui in *Regiis Moſcheis* miniſtrarunt; *Capi-Aga* ſive præfectus ephebo-rum iis templis, quæ condidere, quotquot ſub illius aut Anteceſſorum curâ in *palatio Regio* educabantur, proſpicit. Aliis *parochiis* minoris momenti, quæ non ad ſpecialem cujuſquam juriſdictionem ſpectant, licet populo quemlibet commendare. Qualemcunque vero titulum ſibi acquiſiverit, cum literis teſtimonialibus coram *Vizirio*, aut ejus *Vicario* comparere debet, aut ſaltem *Procurator* ipſius, ut ab ipſo confirmetur.

Quam ingens ſit horum ſacerdotum numerus, facilè licet colligere ex numero templorum, quæ ubivis proſtant.



Digitized by Google

Non multum aberrarem a vero, ſi dixero *Conſtantinopoli, Peræ, Galatæ*, cæteriſque in locis *Boſporo* adjacentibus numerum ſupra mille aſſurgere poſſe. Rure, ubicunque incolæ ſunt *Turcæ*, (nam ex privilegio indultum eſt quibuſdam *Chriſtianis*, ſeorſim ſine admixtione *Turcarum* vivere, cujuſmodi ſunt duodecim vici, decem milliaribus aut circitèr à *Conſtantinopoli* diſſiti, quorum habitatoribus incumbit, ne confluxio aquarum impediatur, & ne cæno impleantur canales, quo minus ad magnificos illos *aquæductus* (quos ſuo nomine verè dignos Inſtauravit *Suleimanus* magnificus ille *Imperator*) tandemque poſt multos flexus in urbem tranſire poſſint) licet vicus ſit ignobilis & perobſcurus, illic templum erectum eſt, ſi ſit paulò largior, duo aut tria. Hæc omnia ſuos habent reditus, quibus a *Fundatoribus* dotantur: nemini enim templum exſtruere, niſi hâc conditione, licet. Ut vero ordo inter ſacerdotes ſervetur, in qualibet celebriori civitate,

puta

puta *Smyrnâ*, *Pruſiâ* &c. præficitur primarius quidam ſacerdos, ( etiam *Mufti* appellitant ) quem in omni controverſiâ conſulunt, & cujus authoritati ſunt obnoxii.

Hiſce accenſendi ſunt

*Scheichler*, qui conciones coram populo habent.

*Ginzhunler*, Lectores *Alcorani*. Ex his ſunt triginta, qui vel in *templis Regiis* vel in ſacellis ea attingentibus, ( *Turbeh*) quibus ſepulti jacent *Imperatores Magnateſque*, *Alcoranum* in totidem ſectiones diviſum, ſinguli nempe ſuam, quotidie legunt.

*Doa kuiler*, qui preces effundunt pro defunctis. Reliqui, qui ſequuntur ,ſunt tanquam famuli ſacerdotum :

*Maezzin*, qui ex turribus ad preces ſonorâ voce invitat.

*Kaim*, *Æditum*, cujus officium eſt codices *Alcoranicos* conſervare, & ſtoreas & tapetes ſternere. Cui aſſiſtit

*Pharaſh*, qui templa lavat & verrit, ne ab aliquâ illuvie ſqualleant.

*Abkeſh*, qui aquam ex ſiphunculis in urnas

urnas aliaque vaſa receptam, iis, qui hauſtu illius ſitim exſtincturi ſunt, aut qui ſeſe lavant, antequam ingrediantur Templa, ſuppeditat.

*Kandilgi*, qui lampades accendit.

*Turbehdar*, monumentorum Regiorum cuſtos.

Penes *Cadîos*, quos juris adminiſtrandi cauſâ in quolibet ferè pago conſtituunt, lites decidendi poteſtas eſt, & reos quoſque, ſi non habeant, quo ſe redimant a pœna, pro ratione criminis caſtigandi. Dignitates haſce ingenti pretio emunt, unde non cuiquam mirum videbitur, ſi omnia jura corrumpant & pervertant, ſi quavis leviculâ occaſione plebem *Chriſtianam*, & ſuos etiam contribules opprimant, ſi viliſſimis artibus pecunias corradant, tum ne iſtiuſmodi contractus ſint ipſis detrimento, tum ut illorum ſatisfiat avaritiæ. *Quotquot* ex *Chriſtianis Occidentalibus* in *Turciâ* peregrinationem ſuſceperunt, horum rapacitatem experti ſunt. Munera enim, nec ea levia, expectant, & ſi quis in iis exhibendis paulolongiorē moram trahat,

trahat, tanquam debita, exigunt. Iis citò nunciatum eſt, *Chriſtianos* oppidum intraſſe, quibus, ceu prædæ, inhiant. Nos antequam ex publicis ædificiis in *Peregrinorum* uſum & commodum exſtructis, viſendarum antiquitatum gratiâ, exiimus, judicum gratiam priùs procurare ſolebamus, pulvere præparato baccæ, quam *Kahwe* vocant, pipere, & ſaccharo ipſis dono miſſis, & ni hoc factum fuiſſet, quovis prætextu nobis moleſtiam faceſſiſſent, a qua fortaſſe non ſine ingenti pecuniæ ſummâ eſſemus liberandi. Tam charo conſtat iter *Turcicum*. Jactis anchoris in anguſtiis *Helleſponti*, quas muniunt duo propugnacula ſibi in litoribus adverſis oppoſita, uti mos eſt, quo exploratum habeant, ſi qua mancipia *Chriſtiana* a patronis elapſa in navibus *Conſtantinopoli* redeuntibus deliteſcant, terram aſcendimus, & vix inferiorem *Seſti*, quæ ſub colle jacet, partem tranſieramus, antequā nobis ſupervenit quidam *Turca*, qui a *Præfecto* miſſus nos coram Ipſo ſiſtendos eſſe nunciat. Facilè ſuboluit,

it, quid ſibi vellet iſte, ideo, ſumpto quodam inter eundum munere, comparuimus; quo accepto, poſtquam aliquot frigidiſſimas quæſtiunculas nobis propoſuiſſet, citò dimiſſi eramus. Sed, ut dixi, plerumque *Cadiorum* poſtulata celeritate noſtrâ anticipavimus. Ex horum numero excipiendus eſt *Cadîus Sardenſis*, de quo quantam victoriam reportaverimus, quamque ei fuerimus ludificati, non pigebit referre. Judex iſte, poſtquam ei ſuboluiſſet nos *Chriſtianos* eſſe, authoritate ſuâ fretus, à nobis munus efflagitavit, ſatis pro imperio: regeſſimus non debere à nobis aliquid exigi, qui *Imperiale* mandatum, quo cautum erat, ut ab omni injuriâ, noxâ, & exactione eſſemus immunes, in ſecuritatem itineris noſtri circumtuleramus. Talem enim ſalvum conductum duo ex minori nobilitate *Angli*, *Smyrnam* per terram petituri, *Conſtantinopoli* procurarunt, qui nobis, ut uſui eſſe poſſit inter peregrinandum, eundem dederunt. Pro munimento nobis erat *Sardibus*, licet non aliâs. Hoc prætextu

apud

Digitized by Google

apud ipſum uſi ſumus, quem à nobis illud quod petierat vix per vim extorquere poſſe credidimus. Hæc enim urbs, cui nihil priſtini ſplendoris relictum eſt hodiè, niſi quòd ingentes ruinæ clariſſimè nobis oſtendant ipſius magnificentiam & gloriam, antequam terræ motus & bella &, qui utriſq; longè crudeliùs ſævierunt, *Turcæ* eam humo æquarent, jam in miſellum viculum degeneravit. Hoc reſponſo contentus, gratiam & humanitatem ſimulando, thaleri dimidium ſibi a nobis datum iri petiit, quem adeò abjecto eſſe animo animadvertentes, *Janizariis* in conſilium prius adhibitis, ne unico quidem aſpro donatum voluimus: Sed quam citò erupit impotentis animi furor & æſtus! *Chriſtiano* cuidam ejuſdem loci, quem pro tempore conduxeramus, ne nobis in emendis cibis aliiſq; neceſſariis aſſiſteret, planè interdixit. Laudabis ſucceſſum magis quam conſilium, & ſanè ſi fuiſſet animoſus, nec diploma *Regium*, nec noſtrarum virium fiducia nos ab ipſius rapacibus unguibus liberâſſet.

*Alcoranus*

*Alcoranus* ipſis eſt jurium tum ſacrorum tum civilium codex. Ex hoc petunt quicquid vel ad religionem vel ad juſtitiam ſpectat: Illius authoritate in litibus decidendis utuntur judices, licet in ſubſidium quoque *Traditiones* vocent, quas *Mohammedi* ejuſque ſucceſſoribus referunt acceptas. Sed innumeri pænè caſus occurrunt, quibus ſolvendis, utpote adeò variis & perplexis, non ſufficiunt leges ſcriptæ & traditæ. Hoc autem judicum arbitrio relinquitur, qui quod æquius & rationi magis congruum videbitur, ſtatuere debent. Sed hi ſuos affectus ſequuntur, & auro & muneribus magis attendunt, quam argumentis: & tamen mirâ ſubtilitate *Alcorani* verba in ſententiæ ſuæ, licet iniquiſſimæ, ſtabilimentum torquent, ut ſupra oſtenſum erat.

Non quemlibet è fæce vulgi promiſcuè admittunt ad populo jus dicendum. In lege *Mohammedanâ* aliquatenùs eruditus eſſe debet, qui magiſtratum ambit. Ne verò hominibus huic officio idoneis deſtituantur, vetant collegia,

(*Me-*

( *Medreſe* ) in inſignioribus civitatibus à quibuſdam *Imperatoribus* exſtructa, quibus in ſtudiis excolendis ſub diſciplinâ & regimine magiſtrorum educantur. Magiſtri hi ſeu profeſſores maximo in honore ſunt apud ipſos, *Modariſter*, utpote longâ experientiâ & ætate docti. Vix illos reperies in plateis ambulantes, ſed equis vectos: (uti ſolent omnes, qui ad aliquam dignitatem promoti ſunt.) Sed hiſce hoc peculiare honoris inſigne indultum eſt, ut inſtratum, quod equo ſuperimpoſitum eſt, fimbriis ſericeis ornatum habeant. Aliqui ex his tercentum aſpros in ſalarium diurnum recipiunt; non rarò in dignitatem *Mulaorum* promoventur, qui aſſiduâ juvenum inſtitutione totum *Mohammedis* jus edidiciſſe cenſentur. Bis in ſingulis ſeptimanis, die *Sabbati* & *Lunæ* juvenes (*Softi*) publicè docent, à quibus ſtudiorum rationem exigunt, & quales progreſſus fecerint, exquirunt. Si poſt examen habitum inſtitutioni reſpondeat ſucceſſus, ad altiorem evehuntur gradum, & titulo *Daniſhmend* ſeu *Docti*

inſig-

Digitized by Google

inſigniuntur. Singulis aſſignantur cellæ ſeu cubicula,(*Tetimme*) quorum determinato numero præeſt aliquis, (*Kamarbaſhi*) qui quaſi ſupervifor eſt, & ſi inertes ſint & aliquid perperàm agant, in illos animadvertendi jus habet. Omnes, qui legi *Mohammedanæ* in hiſce collegiis, vel ſub aliquo privato Doctore, uti etiam quandoque fit operam navant, *Vlemai*, i. e. eruditi audiunt. Cuilibet Judici aſſiſtunt

*Naip*, *Vicarius*, qui ipſi quaſi à conſiliis eſt. Illius curæ eſt, ne diminuta pondera ſint populo fraudi, ne edulia, quæ foro veneunt, ſint putrida, neve iniquo pretio vendantur. Quâ de cauſâ plateas circumeunt, & officinas, piſtorum præcipuè, intrant, quorum panes ſi à juſto pondere deficiant, præter mulctam, quam imponunt, eos in carcerem quandoque detrudunt, vel ſi fraus ſit levior, caſtigant fuſtibus. Sed pecuniâ facilè corrumpuntur, quam ſi quis dederit, tutò populum defraudare licebit.

*Katib*, *Notarius*, qui in curia, quando litigantes comparent, ſententiam judicis ſcribit.

*Mokayid*, *Actuarius*, qui acta & decreta in tabulas refert; cui addendus eſt

*Muhſir*, *Apparitor*, qui ſententiam judicis exequitur, & quoslibet reos vel criminis ſuſpectos citat.

Compertum habui, quod ab aliis dictum fuerit, *Turcas* ſe erga bruta animalia admodum humanè gerere: ſatis eſt iis, quandocunque exigit neceſſitas, ea cito occidere, nullam carnificinam, qua moriendi dolor longior aut intenſior fiat, exercentibus. Aliqui præ nimio affectu erga aves de iis adeo benè merentur, ut ab aucupibus redemptas avolare & ad priſtinam ſylvarum libertatem redire ſinant. Vultures in ædificiorum areis ſecurè manent, quaſi inſtinctu quodam perceperint, *Mohammedem*, cujus aves eſſe finguntur, vetuiſſe, ne occiderentur. Religio eſt ciconias, tempore verno, ad nidos ob hiemis aſperitatem derelictos, rede-

Digitized by Google

deuntes quoquo modo lædere. Male uſſit *Janizarios* noſtros, ſi quis eas plumbeis glandibus è ſclopeto emiſſis peteret, quaſi mali ominis eſſet, aliquod infortunium nobis in itinere ſuperventurum, qui in innoxias aves ſæviimus. Non hoc intellectum vellem, quaſi ab omni aucupio abſtinendum eſſe duxerint, eas enim viſco capiunt, & pulvere pyrio occidunt, iiſque veſcuntur, licet perrarò, iſtiuſmodi deliciis non multùm aſſueti; ſed quia eas, ſolius delectationis causâ, occidere iis planè horridum videtur. Erga canes peculiaris eorum eſt affectus, quos, utpote immundos, intrare domos non ſinunt; ſed ne nimio aeris frigore pereant, latibula in ſingulis plateis, ad quas ſpectant, quaſi in tribus diſtribuerentur, iis recipiendis fiunt. Dimenſum diurnum iis appenditur, ſcrobiculis quibuſdam excavatis, in quas aquam effundunt. Vidi quoſdam ſummo cum affectu panes à piſtore nuperrime emptos canibus dare, cum iidem pauperi *Chriſtiano*, ſi forte occurriſ-
 ſet,

puta *Smyrnâ*, *Pruſiâ* &c. præficitur primarius quidam ſacerdos, ( etiam *Mufti* appellitant ) quem in omni controverſiâ conſulunt, & cujus authoritati ſunt obnoxii.

Hiſce accenſendi ſunt

*Scheichler*, qui conciones coram populo habent.

*Giuzhunler*, Lectores *Alcorani*. Ex his ſunt triginta, qui vel in *templis Regiis* vel in ſacellis ea attingentibus, ( *Turbeh*) quibus ſepulti jacent *Imperatores Magnateſque*, *Alcoranum* in totidem ſectiones diviſum, ſinguli nempe ſuam, quotidie legunt.

*Doa kuiler*, qui preces effundunt pro defunctis. Reliqui, qui ſequuntur ,ſunt tanquam famuli ſacerdotum :

*Muezzin*, qui ex turribus ad preces ſonorâ voce invitat.

*Kaim*, *Æedituus*, cujus officium eſt codices *Alcoranicos* conſervare, & ſtoreas & tapetes ſternere. Cui aſſiſtit

*Pharaſh*, qui templa lavat & verrit, ne ab aliquâ illuvie ſqualleant.

*Abkeſh*, qui aquam ex ſiphunculis in urnas

urnas aliaque vaſa receptam, iis, qui hauſtu illius ſitim exſtincturi ſunt, aut qui ſeſe lavant, antequam ingrediantur Templa, ſuppeditat.

*Kandilgi*, qui lampades accendit.

*Turbehdar*, monumentorum Regiorum cuſtos.

Penes *Cadîos*, quos juris adminiſtrandi cauſâ in quolibet ferè pago conſtituunt, lites decidendi poteſtas eſt, & reos quoſque, ſi non habeant, quo ſe redimant a pœna, pro ratione criminis caſtigandi. Dignitates haſce ingenti pretio emunt, unde non cuiquam mirum videbitur, ſi omnia jura corrumpant & pervertant, ſi quavis leviculâ occaſione plebem *Chriſtianam*, & ſuos etiam contribules opprimant, ſi viliſſimis artibus pecunias corradant, tum ne iſtiuſmodi contractus ſint ipſis detrimento, tum ut illorum ſatisfiat avaritiæ. *Quotquot ex Chriſtianis Occidentalibus* in *Turciâ* peregrinationem ſuſceperunt, horum rapacitatem experti ſunt. Munera enim, nec ea levia, expectant, & ſi quis in iis exhibendis paulo longiorē moram

trahat,

Digitized by Google

trahat, tanquam debita, exigunt. Iis citò nunciatum eſt, *Chriſtianos* oppidum intraſſe, quibus, ceu prædæ, inhiant. Nos antequam ex publicis ædificiis in *Peregrinorum* uſum & commodum exſtructis, viſendarum antiquitatum gratiâ, exiimus, judicum gratiam priùs procurare ſolebamus, pulvere præparato baccæ, quam *Kahwe* vocant, pipere, & ſaccharo ipſis dono miſſis, & ni hoc factum fuiſſet, quovis prætextu nobis moleſtiam faceſſiſſent, a qua fortaſſe non ſine ingenti pecuniæ ſùmmâ eſſemus liberandi. Tam charo conſtat iter *Turcicum*. Jactis anchoris in anguſtiis *Helleſponti*, quas muniunt duo propugnacula ſibi in litoribus adverſis oppoſita, uti mos eſt, quo exploratum habeant, ſi qua mancipia *Chriſtiana* a patronis elapſa in navibus *Conſtantinopoli* redeuntibus deliteſcant, terram aſcendimus, & vix inferiorem *Seſti*, quæ ſub colle jacet, partem tranſieramus, antequā nobis ſupervenit quidam *Turca*, qui a *Præfecto* miſſus nos coram Ipſo ſiſtendos eſſe nunciat. Facilè ſubolu-

it,

t, quid ſibi vellet iſte, ideo, ſumpto uodam inter eundum munere, compa-uimus; quo accepto, poſtquam aliquot rigidiſſimas quæſtiunculas nobis pro-oſuiſſet, citò dimiſſi eramus. Sed, ut ixi, plerumque *Cadiorum* poſtulata ce-eritate noſtrâ anticipavimus. Ex ho-um numero excipiendus eſt *Cadîus Sar-enſis*, de quo quantam victoriam re-ortaverimus, quamque ei fuerimus lu-ificati, non pigebit referre. Judex iſte, oſtquam ei ſuboluiſſet nos *Chriſtianos* ſſe, authoritate ſuâ fretus, à nobis iunus efflagitavit, ſatis pro imperio: egeſſimus non debere à nobis aliquid xigi, qui *Imperiale* mandatum, quo autum erat, ut ab omni injuriâ, noxâ, t exactione eſſemus immunes, in ſe-uritatem itineris noſtri circumtulera-nus. Talem enim ſalvum conductum luo ex minori nobilitate *Angli*, *Smyr-am* per terram petituri, *Conſtanti-opoli* procurarunt, qui nobis, ut uſui eſ-e poſſit inter peregrinandum, eundem lederunt. Pro munimento nobis erat *Sardibus*, licet non aliâs. Hoc prætextu apud

apud ipſum uſi ſumus, quem à nobis illud quod petierat vix per vim extorquere poſſe credidimus. Hæc enim urbs, cui nihil priſtini ſplendoris relictum eſt hodiè, niſi quòd ingentes ruinæ clariſſimè nobis oſtendant ipſius magnificentiam & gloriam, antequam terræ motus & bella &, qui utriſq; longè crudeliùs ſævierunt, *Turcæ* eam humo æquarent, jam in miſellum viculum degeneravit. Hoc reſponſo contentus, gratiam & humanitatem ſimulando, thaleri dimidium ſibi a nobis datum iri petiit, quem adeò abjecto eſſe animo animadvertentes, *Janizariis* in conſilium prius adhibitis, ne unico quidem aſpro donatum voluimus: Sed quam citò erupit impotentis animi furor & æſtus! *Chriſtiano* cuidam ejuſdem loci, quem pro tempore conduxeramus, ne nobis in emendis cibis aliiſq; neceſſariis aſſiſteret, planè interdixit. Laudabis ſucceſſum magis quam conſilium, & ſanè ſi fuiſſet animoſus, nec diploma *Regium*, nec noſtrarum virium fiducia nos ab ipſius rapacibus unguibus liberâſſet.

*Alcoranus*

*Alcoranus* ipſis eſt jurium tum ſacro-
um tum civilium codex. Ex hoc pe-
unt quicquid vel ad religionem vel ad
ſtitiam ſpectat: Illius authoritate in
tibus decidendis utuntur judices, licet
ſubſidium quoque *Traditiones* vocent,
uas *Mohammedi* ejuſque ſucceſſoribus
ferunt acceptas. Sed innumeri pænè
ſus occurrunt, quibus ſolvendis, utpo-
adeò variis & perplexis, non ſuffi-
unt leges ſcriptæ & traditæ. Hoc
item judicum arbitrio relinquitur,
ii quod æquius & rationi magis con-
uum videbitur, ſtatuere debent. Sed
ſuos affectus ſequuntur, & auro &
uneribus magis attendunt, quam ar-
umentis: & tamen mirâ ſubtilitate
*lcorani* verba in ſententiæ ſuæ, licet
iquiſſimæ, ſtabilimentum torquent, ut
ipra oſtenſum erat.

Non quemlibet è fæce vulgi promiſ-
uè admittunt ad populo jus dicendum;
ı lege *Mohammedanâ* aliquatenùs eru-
itus eſſe debet, qui magiſtratum am-
it. Ne verò hominibus huic officio
loneis deſtituantur, vetant collegia,
(*Me-*

( *Medreſe* ) in inſignioribus civitatibus à quibuſdam *Imperatoribus* exſtructa, quibus in ſtudiis excolendis ſub diſciplinâ & regimine magiſtrorum educantur. Magiſtri hi ſeu profeſſores maximo in honore ſunt apud ipſos, *Modariſter*, utpote longâ experientiâ & ætate docti. Vix illos reperies in plateis ambulantes, ſed equis vectos: (uti ſolent omnes, qui ad aliquam dignitatem promoti ſunt.) Sed hiſce hoc peculiare honoris inſigne indultum eſt, ut inſtratum, quod equo ſuperimpoſitum eſt, fimbriis ſericeis ornatum habeant. Aliqui ex his tercentum aſpros in ſalarium diurnum recipiunt; non rarò in dignitatem *Mulaorum* promoventur, qui aſſiduâ juvenum inſtitutione totum *Mohammedis* jus edidiciſſe cenſentur. Bis in ſingulis ſeptimanis, die *Sabbati* & *Lunæ* juvenes (*Softi* ) publicè docent, à quibus ſtudiorum rationem exigunt, & quales progreſſus fecerint, exquirunt. Si poſt examen habitum inſtitutioni reſpondeat ſucceſſus, ad altiorem evehuntur gradum, & titulo *Daniſhmend* ſeu *Docti* inſig-

Digitized by Google

nſigniuntur. Singulis aſſignantur cellæ, ɜu cubicula,(*Tetimme*) quorum deter- ıinato numero præeſt aliquis, (*Ka- ıarbaſhi*) qui quaſi ſupervíſor eſt, & ſi ıertes ſint & aliquid perperàm agant, ı illos animadvertendi jus habet. Om- es;qui legi *Mohammedanæ* in hiſce col- giis, vel ſub aliquo privato Doctore, ti etiam quandoque fit operam na- ınt, *Vlemai*; i. e. eruditi audiunt. uilibet Judici aſſiſtunt

*Naip*, *Vicarius*, qui ipſi quaſi à con- iiş eſt. Illius curæ eſt, ne diminu- pondera ſint pópulo fraudi, ne édu- ı,quæ foro veneunt,ſint putrida, neve iquo pretio vendantur. Quâ de cau- plateas circumeunt; & officinas, ſtorum præcipuè, intrant, quorum ınes ſi à juſto pondere deficiant, præ- r mulctam, quam imponunt, eos in rcerem quandoque detrudunt, vel ſi ıus ſit levior, caſtigant fuſtibus. Sed cuniâ facilè corrumpuntur, quam ſi ıiş dederit, tutò populum defraudare ebit.



Digitized by Google

üntes quoquo modo lædere. Male
it *Janizarios* noſtros, ſi quis eas plum-
is glandibus è ſclopeto emiſſis pete-
, quaſi mali ominis eſſet, aliquod
ortunium nobis in itinere ſuperven-
um, qui in innoxias aves ſæviimus.
n hoc intellectum vellem, quaſi ab
ni aucupio abſtinendum eſſe duxe-
t, eas enim viſco capiunt, & pul-
e pyrio occidunt, iiſque veſcuntur,
et perrarò, iſtiuſmodi deliciis non
ltùm aſſueti; ſed quia eas, ſolius
ectationis causâ, occidere iis planè
ridum videtur. Erga canes peculi-
; eorum eſt affectus, quos, utpote
nundos, intrare domos non ſinunt;
ne nimio aeris frigore pereant, la-
ıla in ſingulis plateis, ad quas ſpe-
ıt, quaſi in tribus diſtribuerentur,
recipiendis fiunt. Dimenſum di-
um iis appenditur, ſcrobiculis
buſdam excavatis, in quas aquam
ndunt. Vidi quoſdam ſummo
ı affectu panes à piſtore nuperrime
otos canibus dare, cum iidem pau-
i *Chriſtiano*, ſi forte occurriſ-

 ſet,

n conſpectu & coram oculis, retine-
ur idem affectus, de iis eadem, ſi non
ajor, ſolicitudo; quotidie panes in eo-
um alimentum mittuntur. Sed tandem
arum expenſarum & laboris pertæſi,
c verentes, ne ab eorum ſcabie peſtis
terùm graſſaretur, inviti & reluctante
uaſi animo ad inſulas, quæ *Conſtan-
inopoli* obverſantur, ablegant, ubi tan-
em fame enecti erant, ne, miſerandis
lulatibus teneræ ipſorum aures offen-
erentur. At, ni fallor, ab illo tempo-
e iis repleta eſt urbs, ut ſi recenſiti
ſſent iterùm, fortaſſè major numerus;
uàm iſte, quem ſupra memoravi, re-
eriretur. Nemo eos lædere audet, ſi
uem eorum *Chriſtianus* aliquis forte
ortunâ inter eundum pede premat, hoc
dio illius in ipſos aſcribunt, & vix id
utò factum eſt. Adeo excanduit qui-
lam *Turca* in *Chriſtianum* præ feſtinati-
ne canem, quem calcavit, humi jacere
on animadvertentem, ut in furorem
erſus interrogaret, *Quomodo tu noſti,
Infidelis, an non patris tui anima in
hunc canem immigraverit*? Quo

 dicto,

dicto, teſtatus eſt ſuum pro cane affe-ctum, & pro opinone ſuâ, quam tu-tabatur, zelum. Hæc parva & levia ſunt, fateor, & *Te* indigna, ſed quia hujus populi genium monſtrant, nolui ea omittere.

Adhuc craſſam iſtam de fato retinent opinionem, genuinum tantæ barbariei ac ignorantiæ partum: hoc ſcuto mu-niti, mortis pericula aggrediuntur in-trepidi, tempore peſtis graſſantis pla-ne ſecuri; non deterret ipſos contagio, quo minus decumbentium iſto ſontico morbo lectulis aſſideant, & linteamini-bus eorum ſudorem à faciebus abſter-gant, & iiſdem veſtibus induantur. Fa-tum cujuſlibet in fronte ejus inſcribi credentes, illudque nullá curâ adhibi-tâ, nullis medicinis, ſi inſtet, fugien-dum; fruſtra eſſe, quiſquis ultra perio-dum determinatam vitam protenſam eſſe cupit aut ſtudet; pharmaca non curanda; deridiculo eſſe debere, quot-quot ſe evaſuros credunt. Ita fatali hoc errore pereunt innumeri, & mortem fu-am accelerant. Apud plebem adeo in-

veteraſcit

veteraſcit hæc opinio, ut ædes deſere-
re religio plane ſit. Fateor Judices, qui paulo altius ſapiunt, hujus erroris jam inde conſcios factos, ſibi ſuiſque fugâ conſulere ac in pagos quoſdam ſe ſubducere, ubi ſalubri aere frui licet, qui ſic tandem ſalvi & incolumes domos ſuas repetunt, dum integræ familiæ eorum, quas infelix hic error occæcaverat, quandoque delentur. Cum ne remedia quidem præſtò ſint, nec adhibeantur, in tanto rerum omnium neglectu, quibus peſti occurrendum eſſet, vel ſubveniendum infectis, facilè ſuſpicaberis non peſtem ſolam atrocitèr apud ipſos ſævire, ſed urbes, quæ ingenti civium numero tument, ab ipſâ vix liberari poſſe. De *Conſtantinopoli* id dicendum arbitror. Peſtis enim illic ferè per totum annum durat, licet hieme ſit remiſſior; ineunte autem autumno vim ſuam contagioſam exercet maximè. Quo tempore fructibus & radicibus, puta peponibus, cucurbitis, &c. ſe avidiſſime indulgent tum *Turcæ* tum *Græci*; deinde cloacis veteribus inter-

cluſis & luto oppletis, aquam in plateis ſtagnare & cadavera canum putreſcere ſinunt: quæ ad augendum peſtis furorem multùm conferre fatentur naſutiores; ſed peſti adeo aſſueſiunt, ut de hiſce parùm ſint ſoliciti. Non ante de irato *Numine* placando publicis precibus & interceſſionibus cogitant, quā mille funera ſingulis diebus per portam *Adrianopolitanam* ad publica ſepulturæ loca, quæ à *Propontide* ad *Portum* uſq; in planitie campeſtri extra urbem exporriguntur, elata ſint: licet telum hoc neutiquam declinari poſſe cenſeant, tamen cælitùs immiſſum eſſe fatentur. Quo tempore, ſuperato trans urbem ( unde adhuc retinet nomen *Græcum Pera*) colle, ex quo non injucundus eſt in portum proſpectus, occurrit, paulo ſupra *Kaſim Baſha*, planities quædam, *Okmidan* dicta; quâ, ut ipſum nomen denotat, honoratiores *Turcæ* in ejaculandis ſagittis vires & peritiam ſuam frequenti populi concurſu exerunt: (hoc enim exercitio ſeſe reficiunt, & maximè delectantur.) Huc ingenti cum ſolenni-

ennitate in modum proceſſionis *Deo* ſupplicatum eunt *Imperator* & *Muftius*, longâ *Baſſarum*, ſi urbi adſint, & ſacerdotum catervâ comitati; bello etiam flagrante aliiſque temporibus, quibus majeſtas & fælicitas imperii periclitantur. Illic loci templum aliquod magnificum exſtructum fuiſſe, quod ipſis adeo ſacrum eſt, & quod tantâ cum religione frequentant, in animo conceperam, idque quidem inviſere maximè cupiebam, ſed dum hac illac vagarer, ecce mihi obverſabatur in ipſà ora montis verſus *Euro-notum* area quædam quadrangula, viginti paſſus longa totidémque lata, duos pedes aut circiter à ſuperficie terræ alta, ſaxis cæſis & coagmentatis in modum muri circumvallata: illic ſub dio ſaxeum pulpitum reperi, ad quod decem gradibus aſcenditur, in cujus ſummitate preces effundit *Muftius*. Quibus defuncti, antidotis ut ulteriori curâ opus non eſſe credunt. Si quis moriatur, hoc argumento ſe illius amici ſolantur, *Allohung mri*, id *Dei* eſſe decretum & voluntatem

tatem, cui parendum eſſe cenſent, ipſi-us decreto refragari nefas eſſe, & nulla conſilia humana contra id ullatenùs valere poſſe. Eadem eſt de iis, quotquot ſuperſunt, opinio, *Egel Ghelmedi, horam mortis nondum veniſſe*, prout dixit quidam *Turca*, qui cadente muro alios ſub ruinis ſepeliente, vix evaſerat, nullis *Deo* gratiis actis, qui ipſum ab inopinâ morte adeò inſigniter liberaverat.

Sed ne iſtis injurius ſim, reticere hic non poſſum ingentem illam ſanctiſſimi *Numinis* reverentiam, quam externis geſtibus & in privatis colloquiis aliqui inter ipſos monſtrant, quotieſcunque de *Ipſo* incidit mentio. Hi omnia ipſius voluntati planè ſubmittunt, de ſucceſſu belli, itineris, aut cujuſcunque rei, licet minoris momenti, quam peractam cupiunt, neutiquàm ſecuri, nec ſibi aut aliis aliquod promittunt, niſi ſub hâc conditione, *In ſha' llah*, *ſi Deus voluerit*. Nihil quod momentoſum eſt aggrediuntur, nec iter incipiunt, niſi hâc quoque præfixâ formulâ, *Biſmil-*

*lah*,

*ah*, i. e. *in nomine Dei.* In omni peri-
:ulo vitæ, & urgente qualibet moleſtiâ,
livinæ miſericordiæ ac benignitatis me-
noriâ animum labaſcentem aut alios
ɔræ metu ſuccumbentes ſuſtentant, in-
ſeminando, *Allah Karim*, *Deus eſt*
*ratioſus*; *Allah Ekber*, *Deus magnus*
*ſt*, *Allah ware*, *Deus nobis aderit*
*n auxilium*, imbecillitatis ſuæ & re-
i ionis ſenſu ad *Deum* unicum opitu-
atorem confugientes. Quibus amotis,
epetunt *Alhemdo lillah*, *Deo ſit La-*
*s*, cui ſoli illam referendam eſſe agno-
cunt.

Inter *Turcas* latent quam plurimi *A-*
*hei*, quorum cenſu magnam *Cadiorum*
ɔartem, & omnes ferè *Apoſtatas Chri-*
*ſtianos* reponere non iniquum erit. Hi
ibi deteſtandorum criminum, ac non
iiſi morte expiandorum conſcii,& vitâ
lagitioſiſſimi, & ſenſibus ſolis vacan-
es, quo liberiùs & ſine conſcientiæ
timulis ea perpetrent, quæ purior &
everior *Chriſti* diſciplina & recta ratio
vetant, *Mohammedicam* religionem
mplectuntur, quam tamen ac cæteras,
tan-

Digitized by Google

tanquam piam fraudem, & vafri *Impo-ſtoris* inventum ſecretò derident. Illi autem, cum paulò elevatioris ſint cæteris ingenii, *Alcorani* putida figmenta rationi repugnare, ridiculas de *Mohammede* narrari fabellas, abſurda eſſe ipſius dogmata, denique totam ipſius Religionem eſſe meram impoſturam agnoſcentes, de religione in genere, ſine ulteriori examine perperàm concludunt, incautæ plebi rerum publicarum conditores fucum feciſſe & humanæ credulitati & ſuperſtitioni hoc de *Dei* exiſtentiâ & providentiâ dogma deberi. Non obſcuris indiciis patet, ipſos hanc impiiſſimam opinionem in ſinu ſuo fovere, quam celant, ne dignitates, opes, & vita ſimul tollantur. Quod meritò accidit cuidam *Mohammedano*, qui Atheiſmum effronti planè impudentiâ & γυμνῇ τῇ κεφαλῇ tueri auſus fuit. Cujus exemplo arrogantem de ſe opinionem injuſtamque virium ſuarum æſtimationem, non minus quam vitam flagitioſſimam ad haſce notiones ex animâ eradendas valere fiet manifeſtum. Eorum, prout

à

à viris fide digniſſimis, qui eum intimè noverant, ſæpè accepi, ſummam hic habebis. Hic *Mohammedes Efendi* (titulo hoc honoris gratiâ, quo inſigniuntur eruditi, addito) *Larræ* in *Armeniâ majori* natus, ſibi ſupra omnes mortales hâc in re ſapere viſus eſt; ſanè pro inquirèr docto habitus, utpote in lege *Mohammedica*, aliiſque *Arabicis Perſiiſque* libris verſatiſſimus; aliàs ingenio miti & placido, & qui gratiam & amicitiam *Chriſtianorum* aucupatus eſt, cenſens *Turcas* ſuos præ illis planè ſtupidos eſſe nihilque intelligere. Miſerrimus homuncio ex hoc nefando facinore famam ſibi quæſivit, tantum enim aberat à ſupprimendis hiſce conceptibus à malè ſanâ mente & læſo cerebro ortis, ut eos apud omnes de induſtriâ evulgaret, & contra ſanctiſſimi *Numinis* exiſtentiam putidiſſimis diſputaret argutiis. Quotieſcunque virum clariſſimum & doctiſſimum D. *Warnerum* magni ob peritiam linguarum Orientalium nominis, tunc temporis *Conſtantinopoli* legatione fungentem inviſit, non

non aliâ ſalutandi formulâ primo congreſſu uti ſolitus eſt, quam *non eſſe*, cui acritèr ab illo reſponſum erat, *eſſe*, nimirum *Deum*; quo facto, ad diſputandum de hoc primo naturæ effato non raro ſeſe accinxerunt, ſed hic mentem ſuam adverſus hanc apertiſſimam & lumine naturali evictiſſimam veritatem adeo obfirmaverat, ut, licet totam vim argumentorum, quæ in illum fulminavit alter, vix ſuſtinere potuiſſet, ab ipſo ea eludi poſſe ſibi adblanditus ſit. Sed tædet narratiunculam hanc ulterius proſequi, ad cataſtrophen ipſius pergo, quâ apparebit *Nemeſin* divinam in hoc impiiſſimo ac ſceleſtiſſimo homine puniendo æquè clarè apparuiſſe, ac ſi de cœlo in ipſius caput detonuiſſet. Lite ortâ inter ipſum & quoſdam *Armenos Chriſtianos* qui in eodem publico ædificio (*Hhan ſeu Caravanſerai*) hoſpitabantur, illum corã *Caimacamo* Gubernatore *Conſtantinopolitano* & Judice ſummo ſecundum *Vizirium*, cujus abſentis vices ſupplebat, & alio Judice ipſi proximo, quem *Stambol Efendi* nuncupant, curarunt ſiſtendum. Injuriam

*Armenis*

-menis fieri plenâ teſtium fide lique-
:t, ſed nec hic deſitum erat: Ul-
riùs progrediuntur *Turcæ*, qui ade-
nt, & de ingenio hominis longos fi-
unt ſermones, reum ſummæ impie-
tis & violatæ religionis peragen-
s, illum nempe vinum tempore *Ra-
mzani* bibiſſe, ſacros ritus à *Prophe-*
ſuo inſtitutos neglexiſſe, precibus
ınquam intereſſe, tandémque illum
*eum non eſſe* credere & palam aſſeruiſ-
inſectantur. Interroganti Judici, an
ːra eſſet iſtiuſmodi conteſtatio in il-
m facta? Quid Tu dicis? Omnes hic u-
ɔ quaſi ore teſtantur, Te dixiſſe *Deum
n eſſe*, ſine morâ reſpondit, *Te, ſi
veris quantum ipſe novi, idem me-
ım ſenſurum*. Conſulunt & monent
ıſum de hâc ſententiâ retractandâ, ſi
odo ſalvus eſſe velit, alitèr de ulti-
o ipſius ſupplicio ac morte decernen-
um eſſe. Hominem perire nolunt, ideo
ɔſius confeſſionem de *Numine* præ-
olantur: ſed fruſtra, maluit mo-
i quam ſe erràſſe fateri, vel ſimu-
ıto aſſenſu periculum illud, quod ca-
piti

piti incubuit, amoliri. Ad mortem illico damnatur, ſed nec ipſe minus pervicax in ipſo mortis articulo: cum enim ad ſupplicium abreptus, mulo vectus, ſed facie ipſius tergo obverſâ, à *Subaſhi* i.e. *Officiali*, cujus curæ commiſſum erat, ut ſententia damnatoria daretur effecta, admonitus eſſet, ut jam tandem *Deum eſſe* confiteretur, proverbio ineleganti & ſpurco regeſſit, *Stercus illud, quod comedendum eſt, citò comedatur*; innuens ſe, quam citò fieri poſſit, mori velle. Ita periit infelix iſte, penè ſexagenarius, vitam & opes ingentes, quas congeſſit, juſto *Dei* judicio, impiæ opinioni, quam retractare nollet, pervicaciſſimè poſtponens.

De *militiâ Turcicâ* tot libri exſtant de induſtriâ & accuratè deſcripti, ut hic plane ſcribendi materia prærepta videatur; unde mihi, ut in cæteris, major ineſt ſolicitudo cogitandi quid omitti, quam quid exponi debeat: Poſt autem tantas vindemias, paucas racemationes colligere licebit.



Digitized by Google

A *Janizariis* incipiam, qui ſunt quaſi nervi imperii *Turcici*. Adhuc colliguntur *Chriſtianorum* pueri ſexennes aut ſeptennes, prout placet exactoribus *Boſnam*, *Serviam*, aliaſque provincias ſub hoc crudeliſſimo jugo *Ottomanico* ingemiſcentes, peragrantibus, qui unum vel duos è familia, ſi numeroſa ſit, è ſinu parentum eripiunt, in ipſorum interitum poſtea armandos. Hæc collectio (*Deuſhirmeh*) non quolibet triennio fit (ut aliqui volunt) ſed citius aut ſerius, quotieſcunque poſtulat neceſſitas, aut numerus militum ſit ſupplendus, imperatur. Non in omnes *Chriſtianorum* liberos hoc modo ſævitum eſt, quippe quamplurimæ urbes, inter quas *Conſtantinopolis*, ingenti hoc donantur privilegio, ne illic hoc tributum, quâvis exactione pecuniæ gravius, exigatur. Hi *Agiamoglan* (i.e.) *rudes* & *inexperti pueri* nuncupantur, quorum aliqui per *Aſiam* diſperguntur, ut laboribus & inediæ aſſuefiant, linguam *Turcicam* addiſcant, & ritibus falſæ hujus religionis initientur. At

cæteris recipiendis deſignantur tria Collegia,unum *Conſtantinopoli*, aliud *Peræ*, non longe ab ædibus, quas Legati ſereniſſimi noſtri Regis ſucceſſive incoluere,tertium *Adrianopoli*; quæ ſunt quaſi ſeminaria juventutis. Hic enim militiæ rudimenta addiſcunt, ſub ſeveriſſimis præceptoribus educati; hic viliſſima quæque officia obeunt; hic, ſiquid perperàm admiſſum ſit, caſtigantur; hic vel nutibus obſecundari docentur. Quam ſevera horum ſit inſtitutio, ex viris præſtantiſſimis, *Busbequio* & *Ricautio* noſtro, qui de rebus *Turcicis* optimè omnium ſcripſiſſe mihi videntur, cuivis innoteſcit. Ita olim, & juxta mentem *Amuratis*, qui hanc *novam militiam*, prout nomen illud denotat, primus ordinavit. Sed jam licet eadem nomina militum retineantur, iidem ordines, diſciplina hodiè luxatur & corrumpitur. Cum inter effata veriſſima, quibus experientia ſuffragatur, hactenus recenſitum fuerit, imperia, quibus artibus condebantur, iiſdem conſervari, & deficientibus, peſſum ire, benè ominari

hinc

Digitized by Google

hinc licebit, imperium hoc, quod tot regna & reſpublicas vi armorum ſuperaverit, ad interitum jam vergere, eodem fato imperia ac homines manente, ut longâ ſerie annorum flacceſcant, & otio & deliciis pacis tandem debilitata intereant. Collegia jam fere juvenibus, qui in ſpem & ſtabilimentum imperii labaſcentis ſuccreſcerent, vacua ſunt. Nec ſi repleta eſſent, illorum numerus neceſſitatibus, quibus urgentur, ſufficeret. Flagrante bello *Cretico*, ipſis adeò fatali, ut ab eo quàm maximè abhorruerint, inſulam illam eſſe *Muſulmannorum* cœmeterium cenſentes; (Quadringenta enim millia hominum illic peſte & gladio periiſſe numerant) præcipua veteranorum pars abſumpta erat. Novi quoſdam ab aratro accitos in hunc ordinem adſcriptos fuiſſe ſine aliquo prævio armorum exercitio. Olim quotquot è *Janizariis Conſtantinopoli* aderant, in duobus ſpatioſiſſimis hoſpitiis (cameras vocant, *Odaler*) ſimul vixerunt, ſub vexillis quaſi ducum & præfectorum, & in excubiis



Digitized by Google

agentes: ſed nunc cum ipſis, ſi abeſſe velint, munuſculi gratiâ diſpenſatum eſt. Uxores quoque jam ducunt, qui antea cælibem vitam (ſi modo illorum ſpurca vita tali honeſtamemto ſit dignanda) agere cogebantur. Inde domi latere mallent quam gloriam bello quærere. Illorum etiam filii recenſentur in eodem ordine, & ipſis ſuccedunt. Artibus mechanicis & ſellulariis occupantur, & ex militibus fiunt cives, pacis & quietis cupidiſſimi, & bellicoſis illis, quos olim aluerunt, ſpiritibus remiſſis, amore liberorum molles & ignavi. Interim tamen ut nihil in publicis conſiliis de iis, quod ordini illorum noceat, decernatur, duodecim eliguntur quaſi *Tribuni*, (*Ogiack Agaler*) qui illorum res procurent, & ipſis proſpiciant. Horum apud ipſos magna eſt authoritas, quos tanquam *Patronos* & *Fautores* ſuſpiciunt: nihil non horum rogatu & perſuaſione aggrediuntur, facilè ab his ad tumultus & ſeditiones moventur. Satis enim norunt, ſuas vires meritò ſuſpectas eſſe, penes ipſos eſſe Imperato-

rem

Digitized by Google

rem conſtituendi facultatem, per ipſos imperium ſalvum eſſe; olim de exterminando hoc ordine *Oſmanum* hujus *Imperatoris* patruum cogitaſſe, & de inſtituendo alio; ſucceſſores ejus idem optare & moliri, ſi daretur occaſio, licet vota & propoſitum illud diſſimulent, & in imo pectore teneant. Hinc illa ſolicitudo oritur, ille faſtus & importunæ preces, quibus ſe novis privilegiis muniri volunt, *Præfectis* potius quam *Imperatori* morem gerentes.

Si quis ex ipſis criminis, licet horrendi, reus ſit, Judici civili non conceditur in ipſum animadvertendi poteſtas. A *præfecto* ſuo judicatur, nec ipſi licet, ſi morti damnetur, ſententiam iſtam exequi, antequam nomen ipſius ex albo *Janizariorum* expunctum ſit. Noctu quoque infligenda eſt pœna iſta capitalis, cum non per ipſos tutum ſit eam tempore diurno exigere. At ne hoc efferum & contumax hominum genus jura civilia convellat, & in ſe ſive in alios graſſetur, in quovis oppido latiori præficitur unus ex eodem

inſtituto, qui ipſos regat; *Serdar* nuncupant. Hic receptis a *Vizirio* aut *Generali ſupremo Janizariorum* literis eos, qui ſub ejus diſtrictu degunt, congregat, & pro neceſſitate imperii diſponit. Si qua autem lis oriatur inter ipſos, ſi in alios ſint injurii, ad hunc ſolum confugiendum eſt. Quam vero ſæpe plus æquo *Janizariis* in causá alienâ faveant illorum *præfecti*, facile erit judicare; adeo ut è re magis foret injuriam ſufferre, quam eam vindicandam curare, ne tandem nova & major quidem inferatur: Tanti enim ſe æſtimant, ut ſibi omnia ferè licere, eaque quidem impunè, cenſeant. Non ergo miraberis, ſi de horum ſummo Præfecto (*Jenitzeri Aga*) eligendo adeò ſit ſolicitus *Imperator*, ne novis rebus ſtudeat, ne pro libidine eum deponat, præficiatque alterum, cum tantam in milites habeat authoritatem: ſi neminem præficiat, niſi de cujus fide ſecuriſſimus ſit, & ſi vel minima oriatur ſuſpicio, quod vacillet fides ipſius, illum ex hac dignitate deturbet. Huic caven-

cavendum eſt, ne auram popularem nimis captet, quæ ipſum in ſuſpicionem proditionis trahat: rigidum eſſe & pæne iniquum oportet, ſi gratiam *Imperatoris* velit ſibi integram manere. Sed nec illi, licet obſequium erga *Imperatorem* ſummum præ ſe ferat, nec aliquomodo ſit ſuſpectus, eſſe fidendum inter arcana imperii numeratur. Nullum illius curæ propugnaculum committitur, nulla provincia, urbs nulla. *Vizirio* reliquiſque *Portæ Baſſis* ſubeſt, nec in partem regiminis venit. Raro ad conſilia ſecretiora adhibetur; quandocunque adeſt, tacet, niſi ipſi opinionem ſuam de re propoſita proferre imperatum ſit: nec ipſi permiſſum eſt ſuum *deputatum Kiahia Bei* ſive locum tenentem eligere, ne contra pacem imperii mutuis conſpirationibus aliquid molirentur. Adeo nimirum metuunt ab ipſo & militibus, ne qui hactenus imperio munimento fuerint, ſeditionibus & tumultibus idem tandem convellant. Hi omnes continuo ſtipendio aluntur, quod pro qualitate ac merito

perſonæ variatum ( aliqui enim tres aſpros per diem, aliqui viginti recipiunt ) non niſi quater in anno ſolvitur, ſingulis nimirum tribus menſibus exactis. Horum numerus exſurgit juxta uſu receptum calculum ad quinquaginta millia, quorum vix triens propoſitâ aliquâ expeditione bellum init: reliqui enim in præſidiis defendendis, puta in confiniis *Perſidis*, *Hungariæ*, *Dalmatiæ* occupantur, nec niſi, gravis urget neceſſitas, egrediuntur foras. Nec *Buda* tantum & *Bagdadum* illos admittit, ſed etiam *Kahira*, licet ab extero hoſte illic minimè metuendum ſit. Norunt enim quam verſatile ſit incolarum *Ægypti* ingenium, quam ad ſeditiones proclive, quam ſolâ vi reprimendum, ne inſoleſcat, & quam maximè libertatem priſtinam ſibi reſtitutam velint. Antequam ad caſtra bellicoſæ cujuſdam expeditionis cauſâ eunt, quo illis melius proviſum ſit adverſus omnes eventus triſtes & aſperos, pecunia inter ipſos diſtribuitur. Sed de veſtibus emendis præcipua cura eſt, quibus ſe à violentia

violentia frigoris & ventorum tueantur, & de tenui ciborum apparatu: abunde ſibi proſpectum credunt, ſi ollam æneam, ſi pultem, ſi carnem ſole ſiccatam & in pulviſculos comminutam pro conficiendo juſculo, ſi oryzam & allium & ſalem in ſacculis habeant. His laute & opipare vivunt. Potum quilibet fons ſuppeditat. Crimen enim capitale nullo pretio, nullis precibas redimendum admiſſurus eſt, quiſquis vinum in caſtra infert, quibus etiam mulieres intereſſe illorum diſciplina ſeverè prohibet. Non licet privatas lites & inimicitiam ſerere aut fovere, aut verbulo quenquam laceſſere. Omnia ſilentio peraguntur; ad pugnandum ſemper accincti, eunt quo juſſum eſt, non de periculo, non de morte ſoliciti.

Quam bene regiones & provincias, quas debellarunt, tueantur, ſatis patet ex inſtitutione *Spahiorum*, qui *Turcicum* equitatum conficiunt. Inter hos enim diſtributa ſunt prædia, in mercedem ſudoris & ſanguinis in bello fortiter gerendo, ſed tamen eâ conditione, ut ſiqua

imperii

imperii neceſſitas exigat,primâ denunciatione,qua juſſum eſt, ipſos ſe ad bellum accingant,& cum tot equis,pro ratione terrarum, quas poſſident, præſto ſint. Quâ de cauſâ nullum ex ærario *Imperatoris* ſtipendium iis datum eſt. Hi *Timar-Sipahiler* appellantur ſeu *feudatarii*,ut contra diſtinguantur ordinariis *Spahiis* in urbibus degentibus, quibus diurnum ab aſpris duodenis ad centenos ſtipendium pro dignitate & merito cujuſque attributum eſt. Ex his triginta fere millia, ex illis juxta communem calculum numerantur,(neq;hac in re illum certiſſimè eſſe definitum requiras, cum numerus iſte, pro incremento victoriarum,& pro diviſione unius prædii,morte alicujus vacantis, in plura, quotidie augeatur)in *Europâ* ſupra viginti tria millia, in *Anatolia* ferè totidem, præter alios, qui prope *Damaſcum*, *Kahiram*,& *Budam* habitantes,è provinciis egredi non tenentur, ab hoc cenſu excluſos. Non eſt quod exiſtimes,bello in *Europâ* moto,ab alterâ *Imperii* extremitate omnes protenùs accerſendos.

Digitized by Google

cerſendos. Hi enim munimento futuri ſunt, ſi *Perſæ* aut domeſtici hoſtes hâc arreptâ occaſione de *Imperio* invadendo eodem tempore cogitent. Horum etiam animos agriculturæ ſtudium, cui ſe totos dant, & ruſticæ vitæ quies ita planè abalienarunt, ut quam plurimi ſe muneribus & pecuniâ eximendos curent. Unde non mirabitur quiſquam, ſi militares illorum copiæ jam longè ſint inferiores iis noviſſimi Ævi, quo centum millia equitum ad bellum *Hungaricum* duxiſſe *Imperatorem Suleimanum* legimus. Quiſque *Spahiorum* armamentarium ſecum portare videtur, tot nimirum armis onuſtus, puta arcu, brevi quidem, & eodem quo, ni fallor, olim uſi ſunt *Parthi*, pharetrâ, acinace, ſclopeto, parmâ, lanceâ, cujus extremitati apponitur vexillum quoddam, quo innoteſcit cujus ſit ordinis. Eorum enim ſex ſunt ordines, diverſis vexillorum coloribus diſtincti; quorum primus eſt *Spahioglanleri*, eorum, qui vexillum rubrum geſtant; ſecundus eſt *Selihtari*, eorum qui flavum: cæteri quatuor, ſinguli

li nempe ſuum, vexillum viride, album, album viridi admixtum, & album rubro habent. Armorum ſupra memoratorum uſum benè noſſe & dexterrime tractare pro variâ occaſione longa docuit experientia: in regendis equis ſunt etiam peritiſſimi, quos, cum incitatiſſimo ferantur curſu, ſpatio unius pedis facilè ſiſtunt. Sæpe equidem miratus ſum eos tantâ cum peritiâ jacula in ſe invicem ludentium more emittere poſſe, equis celerrimè vectos, quos innumeris ferè gyris circumactos ad libitum moderantur.

Sunt alii etiam Equites, ut

*Zaimler*, ad eadem munia præſtanda obligati, quibus prædia longè ditiora contingunt. Quæ, uti nec illa *Spahiorum*, non tranſeunt ad liberos, niſi in bello benè meriti fuerint.

*Mutaferraca*, qui *Imperatorem* ad bella euntem comitari debent; ſin domi maneat, iidem etiam manent.

*Akingi*, *volones*, quorum aliqui, præ inſano illo zelo, quo acti ſunt adverſus *Chriſtianos*, arma capeſſunt; aliqui, ut

in

in loca & dignitates *Janizariorum* & *Spahiorum*, qui bello exſtinguuntur, ſuccedant. Tanto cum ambitu contendunt, ut in numero militum recenſeantur, & opimis illis prædiis & privilegiis, quibus militiam muniunt & honeſtant, tandem poſt bellum peractum fruantur.

*Sarigia* & *Gindi*, qui a cæteris non diſcrepant, niſi quod hi lanceas gerant longiores, illi ſclopeta. Præter hos aliqui *Baſſæ* ad caſtra citati numeroſo ſervorum, quos in familiâ alunt, & militum comitatu ſtipantur. Principes *Wallachiæ* & *Moldaviæ*, qui annuum tributum *Imperatori* pendunt, utpote ab ipſo conſtituti, in bello cum ſelectis *Chriſtianorum* iſtarum gentium turmis adeſſe coguntur. Accedunt denique *Tatari*, quos ex pacto ad auxilium *Turcarum* emittit illorum Princeps. Sed hi in hujuſmodi expeditionibus ſibi magis conſulunt quam *Turcis*; nam prædæ inhiantes multos equos ſeſſoribus vacuos ſecum ferunt, ut vel miſera illa mancipia, quæ ſurripiunt, iis imponant

nant, vel, cum aliter non ſuppetat præ ſolitudine regionum cibus, iiſdem tanquam deliciis veſcantur.

Caſtra ſequi adiguntur multa pauperum *Chriſtianorum* millia, quorum operâ in accumulandis aggeribus & in cuniculis agendis utuntur: horum plerique inermes, ligone & rutro inſtructi, quorum ſors miſerrima eſt & prorſum dolenda: in acie pugnæ ſæpenumero collocantur ad retundendum primum hoſtium impetum, aut, dum urbem obſidione cingunt, ſi aliqua per muros dirutos irruptio fiat, illuc detruduntur, ut ſuper eorum cadavera ſecurius tranſeant *Janizarii*.

Non exeunt *milites Turcici* ex hibernis niſi vere adulto, quo tempore gramen equis alendis copioſè provenit, ad quæ redeunt circa finem *Octobris*; neque enim diutiùs in campis morabuntur, niſi perquàm gravatim. Ingentem metalli copiam in qualibet expeditione in eſſedis portant, ex quo fuſo, prout occaſio fert, tormenta bellica conflant.



Digitized by Google

Quanto impetu in hoſtes irruant, quam imperterrito animo prælium ineant, & quam pænè ad deſperationem fortes ſint, utinam victoriæ illorũ, quas de *Chriſtianis* reportarunt, non ſatis teſtarentur. Multa autem ſunt, quæ fortitudinem hanc quaſi innatam & tam ſeverâ educatione auctam & exercitam accendunt.

Ante pugnam prælegitur ex *Alcorano* capitulum illud, quo *Impoſtor* fingit gladium ſibi de cœlo in manus deſcendiſſe, cumque eo privilegium, quotquot *legi novæ* ab ipſo promulgandæ reſtiterint, occidendi. Hinc fides illa, ſe *pro cauſâ Dei* pugnaturos eſſe, ac omninò pudendum eſſe, non pro religione verâ ſtrenuè & viriliter agere. Falſus iſte zelus novas vel ignaviſſimo vires affundit, omnemque metum tollit. Quis enim adeò væcors eſt, qui pro *Deo* mori non ſpontè & alacriter ambiat? Ideò quamprimum adverſus hoſtes eunt, eoſque adoriuntur, *Deum* incondito clamore invocant, ipſiuſque nomen repetunt,



Digitized by Google

ut cauſam ſuam, quam illi armis defenſuri ſunt, ipſe vindicet.

Non parum quoque huic furori confert dogma illud de *Fato*: hinc ſuæ ſalutis negligentiores facti, nihil non aggrediuntur, & certis periculis ſe exponunt, ſtupide ſibi adblandientis, ſe in mediis periculis, in quæ irruunt, ſalvos fore, ſi ita a *Deo* decretum ſit; ſin aliter, omnem eorum curam de propriâ ſalute fruſtra eſſe.

Norunt etiam, quanta laus eos, qui ſtrenuè admodùm dimicant, maneat; quam omnium in ore celebrentur; neminem gloriam niſi gladiò acquirere; præmium virtuti debitum eſſe; *Baſſas* & *Præfectos* iſtiuſmodi initiis omnem dignitatem debere; hac methodo rectà procedendum eſſe ad honores, & ſola merita penſari. Ita famam vitæ anteponunt, de morte neutiquam ſoliciti, dum pugnando prærogativas, quas acquiſituri ſunt, præ oculis habeant.

Sed longè efficaciſſima omnium machina, quibus moventur ad ſuſtinendum

dum quicquid ſit aſperitatis & moleſtiæ in bello,& ad fortitèr occumbendum, eſt opinio,quæ apud eos pleniſſimam fidem obtinet,nimirum illos moriendo paradiſum mereri , & à ſuperſtitibus inter *Martyres* recenſendos eſſe. De hâc re nemini dubium eſt,hanc opinionem *Muftio* quodam authoritate ſuâ confirmante,qui conſultus,quali ordine ſequaces *Mohammedis* ingrederentur *paradiſum*, primum locum *Martyribus* in prælio occiſis aſſignavit, his ſuccedere *Aratores*,his(*Phaki*) *Juriſperitos* & *Sacerdotes* ſtatuit, quibus demum ingreſſis, cæteros promiſcuè, prout commodè poterunt,nullo deinceps ordine ſervato,ingreſſuros. Quam animoſè pugnandum eſt iis,qui has ſpes alunt! penè piget vivere:pericula non terrent,non ipſa mors:adeò fœdos de *Paradiſo*,quem ſibi promittunt,conceptus habent hæc libidinis mancipia.

Hoc pacto etiam ſeverum illud in ſepulchro *examen* ab *Angelis* de vitâ anteactâ faciendum,quod tantoperè horrent, evadunt : *martyrio* enim omnia

crimina, qualiacunque ſint, expiari credunt. Hac fide armati, agunt intrepidè; hiſce argumentis, hâc ſpe animum adverſus metum mortis obfirmant.

Urbes quo animo oppugnant, eodem, ſi à *Chriſtianis* obſideantur, defendunt, quamlibet ſtragem paſſuri. Nefas enim maximum eſſe cenſent, aliquod oppidum, modò in eo *Moſchea* ſit exſtructa, dedere aut deſerere: Hoc eſſet de *Religione*, quam defendendam & ampliandam in ſe ſuſceperint, malè mereri. Hinc obſidiones fortitèr ſubeunt, tandémque ſine querelâ, imò læti, pereunt. Adeò obſtinatos & pervicaces eos reddidit longa ſuperſtitio. Sed de *militiâ Turcicâ* hactenùs.

Plura addidiſſe in animo habueram, ſed cum mihi verendum ſit, *Te* hac epiſtolâ nimium prolixâ, contra quam in initio ſtatueram, planè defatigatum eſſe, nec ea, ſi adderentur, *Tibi* nova futura eſſe (uti fortaſſe nec eà omnia, quæ ſupra poſui) ne contra bonos mores peccem, ne dicam contra pruden-

tiæ

Digitized by Google

tiæ regulas, qui non melius *Tibi* nec mihimet ipſi conſuluerim, vagantem reprimo calamum, cum hâc ſpe tamen, quam notiſſimæ Tuæ humanitatis memoria mihi ſuggeſſit, hæc omnia à *Te* in reverentiæ, affectûs, obſervantiæ, & gratitudinis, quibus erga *Te* feror, ſignum & μνημόσυνον acceptum iri. Vale *Vir Præſtantiſſime*, & me, ut ſoles, ama.

*E Collegio D. Mariæ Magdalenæ*
*OXON. Feſto Annunciationis*
*B.V. Mariæ* Θεοτόκου. *Anno*
*Chriſti* M:DC: LXXIII.

Digitized by Google

# EPISTOLA SECUNDA,

IN QUA

SEPTEM ASIÆ ECCLESIARUM NOTITIA CONTINETUR.

Mitto jam ad *Te*, *Vir Clariſſime mihique ſemper Colende*, ſeptem *Aſiæ* Eccleſiarum, quas olim *Sanctiſſimus Spiritus* naſcente *Chriſtianiſmo* literis ſalutare dignatus eſt, deſcriptionem, non accuratam quidem, (id enim fateri mihi fas eſt) ſed brevem, & qualem potui præ anguſtiis temporis, aliiſque incommodis, quibuſcum in hoc itinere perficiendo conflictatus ſum. Diligentiâ & pietate peregrinantium, qui *Hieroſolyma* ſingulis annis frequentes inviſunt, hactenus effectum eſt, ne orbis *Chriſtianus* neſciat, quali in ſtatu ea loca ſacra ſint, quorum quiſque paulò curioſior ex chartis & libris, qui exſtant, ſibi ferè ideam in mente effinxit,

& de iis adeò expeditè loquitur, ac ſi ea omnia pedibus & oculis luſtraſſet. Sed ea felicitas hiſce *Eccleſiis* olim celebratiſſimis nondum contigit, quibus triſtius fatum incubare videtur, quòd pene neglectæ jaceant. Tanti neglectûs puduit aliquos è gente noſtrâ *Smyrnæ*, commercii cauſâ, degentes, quibus pio zelo ac curioſitate perquàm laudabili accenſis reliquias tantæ magnificentiæ, quam ſingulæ illarum olim merito jactarunt, paucis abhinc annis intueri cordi erat. Mihi quoque, dum *Smyrnæ* agerem, præſtolanti uſquedum naves *Anglicæ* è portu ſolverint, acre inerat. eaſdem inviſendi deſiderium, quod in impatientiam tandem ceſſit. Illud enim unicè in votis habui, de peregrinatione illûc inſtituenda factus indies magis ſolicitus: ſed defuit opportunitas, nondum enim detumuerant aquæ, quæ ripis ſuperfuſæ ſuis, in agris ſtagnarunt; defuerunt comites, nec enim id ſolus auderem: utpote

utpote qui triſti experientiâ edoctus eram, quibus periculis quantiſque difficultatibus occurrendum fuerit, & memoria malorum, quæ, dum *Pruſiam* peterem, terrâ marique paſſus ſum, me planè abſterruit. Verum enim vero navibus noſtris non niſi poſt quatuor menſes diſceſſuris, planè piguit tantiſper morari, & amor ille, quo erga loca hæc veneranda ferebar, me magis magiſque ad id aggrediendum ſtimulavit, nec amplius memineram periculorum, quæ metuenda erant, dum de tædio amovendo, quod tam diuturna mora ingereret, cogitarem. Tandem tres alios idem, quod me antea, invaſit deſiderium, unde nova ſpes illuxerit, me voti compotem redditum iri. Appetebat ver, & iter maturandum erat, quo fieret commodius, antequam calores ingraveſcerent: quo autem ſecuriùs iretur, duos *Janizarios* probatæ fidei & fortitudinis, duos item è gente *Armenâ Chriſtianos*, coquum, qui



Digitized by Google

edulia noſtra pararet, & tres agaſones, qui equorum noſtrorum curam agerent, conduximus. Tanto numero nobis de ſecuritate & ſalute noſtrâ neceſſario proſpiciendum erat, eò quod illo anni tempore latrones, quibus pro ſævitie illorum crudeliſſimus iſte mos inolevit prius vitam quã veſtes & pecunias ſurripiendi, quo prædam certiſſimè caprent, in publicis viis turmatim graſſentur, eaſque infeſtent. Hac in re humanitatem *Judicis Smyrnenſis* non celandam arbitror, qui ad eam dignitatem nuper promotus, quo gentem noſtram ſibi magis demereretur, poſtquam propoſitum noſtrum de hoc itinere faciendo ipſi innotuiſſet, nuncio quodam miſſo conſuluit, nos armis benè inſtructos & forti ſatellitió ſtipatos eſſe oportere; aliter verendum eſſe, ne malè iter ſuccederet: communi enim famâ vulgatum erat, iſtiuſmodi prædones per varias *Provincias* huc illuc excurſiones facere, multoſque

ex

Digitized by Google

ex improviſo intercepiſſe. Quo conſilio commonefacti, adverſus omnes ſiniſtros eventus, quantum in nobis erat, hoc modo proſpeximus, maxime tamen divinâ *Providentiâ* freti. Hiſce jam quaſi præloquiis perfunctus, ad id, quod propoſui, enarrandum pergo, ea omnia, uti etiam quicquid inter eundum contigerit, ex *diario* relaturus: Mihi enim ſolenne erat, nec unquam intermiſſum, diurno itinere peracto quicquid occurreret, annotare, & dum harum *urbium* ruinas luſtrarem, ea ſtatim in tabulas referre. Rejectâ igitur ad extremam epiſtolæ partem *Smyrnæ* deſcriptione cum bono *Deo* incipiam.

Tertio Aprilis A.Chr. 1671, *Smyrnâ* diſceſſimus, extremâ ſinûs parte, quæ longiùs protenſa verſus *Euroaquilonem* excurrit, ſuperata, ad montes ſeptentrionales, *Cordilieu* hodiè dictos, qui cum *Mimante* ipſis in directum oppoſito ſinum illum, recipiendis



Digitized by Google

recipiendis navibus & ab omni ferè ventorum injuriâ defendendis opportunum efficiunt, perreximus; ſub quibus, in planitie ab eorum radicibus ad litus marinum extenſâ, ſpatio quatuor circitèr horarum noſtrum continuavimus iter, præcipites tamen & aſperas rupes, quæ viam præcluſêre, ſubinde aſcendere coacti. Sed minimè metuendum erat, ſi cura adhiberetur, equis eas inoffenſo pede ſcandentibus. Verſus *Boream* fere rectâ itum erat, niſi quod via ad *Occidentem* paulò deflectenda eſſet. Quo meliùs varias itinerum circumgyrationes ac deflexus, locorúmque, quæ luſtratum ire cupii, ſitum ediſcerem, pyxidulam nauticam, quæ nobis uſui futura eſſet, nobiſcum ferendam curavi: In hiſce enim terris planè navigandum eſſe videtur. Gratum erat ſpectaculum, ſinus ille, quem prætervecti ſumus; nec minori delectatione perfudêre oculos malorum citrearum & medicarum nemora

ra

Digitized by Google

ra, denſæque ficus & amygdalæ, quæ paſſim floruere. Relicto tandem litore, terram intravimus; facilè hinc *Joniæ* fertilitatem, quam tantoperè deprædicant antiqui Scriptores, colligere licebat, ſimulque *Turcis*, qui agriculturam non admodum callentes, tam divite & felici ſolo rectè uti neſciunt, ignaviam exprobrare. Viculos quamplurimos huc illuc ſparſos pertranſiimus, quos ignobiles appellarem, niſi quod jucundiſſimus ſitus eos adeò commendet, ut iis nobilitatem addere quodammodo videatur. In conſpectu erat oppidum *Menimen* appellatum, in editiore loco poſitum, tam ædibus & *Moſcheis*, quam commercio celebre: hic enim craſſiores illi panni, quibus ſericum cæteraſque pretioſas merces involvunt, contexuntur, quod a dextrâ reliquimus, ad fluvium *Hermum*, qui ab eo paulò abeſt, rectà euntes.

*Hermus* ortum in *Phrygiâ majore* habens,

habens, per *Lydiam* & *Æolidem*, quarum prata & paſcua quam maximè fœcundat, dilapſus, in ſinum *Smyrnenſem* aquas effundit, eo in loco, cui in altera ſinus parte opponitur *Vurla*, oppidum, quod hodiè à *Græcis Turciſque* valetudinariis ob aquas medicinales, quæ illic ſcaturiunt, tempore æſtivo valdè frequentatur. Hoc ( ut obiter notem ) aliqui *Clazomenem* veterum eſſe ſtatunnt, ſed perperam, cum illa urbs in inſula cognomine, quæ non procul diſtat, ( *Longa Inſula* à noſtris dicta) potius quærenda ſit.

Alveus, quo defertur, *Thameſino* noſtro ad *Winſoram* longè anguſtior mihi viſus eſt, in aliquâ ſui parte vadoſus, ſed tunc ex novo pluvialium aquarum acceſſu profundior redditus, non niſi pontone, quem illic invenimus, trajiciendus.

Poſt ſeſquihoram oppidulum quoddam attigimus, *Chiaus Kui* nuncupatum, ubi pernoctandum erat. Hæc enim eſt prima manſio (*Conae Turci-*

*cè*)

Digitized by Google

*cè* )poſt iter octo horarum in anguſto quodam tuguriolo excepti eramus, nobis ipſis gratulantes ; quod ſub dio non eſſet dormiendum.

Sequente die poſt tres horas ſinum *Elæenſem* a longè proſpeximus: ad cujus extremam partem, quæ ad *Borea-zephyrum* jacet, dum tendebamus, ab oppido *Guzel hiſar*( quod *pulchrum caſtrum* denotat)in clivo montis bellè admodum ſito, de induſtri[illegible] longâ licet circumitione, declinavimus, illud de longinquo vidiſſe contenti. Aliqui enim è gente noſtrâ illic a barbaro & iniquiſſimo Judice ante paucos menſes peſſimè habiti & mulctati erant hoc leviſſimo prætextu, quod *vinum* in pellibus conſutis ( his enim utimur, utpote portatu præ cæteris vaſis facilioribus ) circumtulerint, contra quam paulo ante juſſum erat ab *Imperatore*, qui vini uſum omnibus ſevere interdixit : Ab iis pecuniam, antequam dimitterentur, extorſit, de quo eorum rogatu queſtus

eſt

eſt apud *Vizirium* D.Legatus, & ut tam horridi facinoris pœnas lueret, poſtulavit. Verebamur nos, ne odio gentis noſtræ, hujus criminationis, cujus reus eſſe peragebatur, memor, in nos magis ſæviret, gentis ſuæ genium ſecutus, quæ vindictam ſemper meditatur, eique quam maximè ſtudet. Sole ad *occaſum* vergente, collem extra viam publicam aſcendimus, in quo viculus *Cliſia kui* dictus ſitus eſt, cum *Pergamum* illo die commodè ſatis attingere non potuerimus, itinere decem propemodum horarum feſſi: His enim diſtantias & intervalla locorum numerant, & itinera emetiuntur, non leucis aut milliaribus, ad quæ tamen, ea, quantum conjecturâ aſſequi poſſum, in ſequentibus reducere conabor. Hinc ab altera parte jucundiſſimus eſt proſpectus in planitiem, quæ ſubjacet, *Pergamenam*, cujus delicias oculis noſtris prælibavimus. Poſtero die illuc perventum erat. Hinc omnia

ad

Digitized by Google

ad luxuriem à naturâ compoſita eſſe videntur, nec fortaſſe vix alicubi terrarum par planities reperienda eſt. Viginti ſex milliaribus, aut circitèr in longum extenditur, antequam æqualitatem ipſius abrumpat vel unus colliculus. Poſt quem multò longiùs excurrit in *Notapeliotem*, variæ autem eſt latitudinis; ubi amplior eſt, quinque milliaria occupat. Illius partem tegunt oleæ; pars culta eſt; partem depaſcunt numeroſi greges. Ad *Boreazephyrum* amnis, ni fallor, *Cætius* perparvo aquarum decurſu fluit, à *Pindaſo* monte ortus, ad *Auſtrum* verò *Caicus*, quem ad mille paſſus ab urbe trajecimus. Hinc quoque pleraque ex parte leniſſimè decurrit, alveum *Hermo* dimidio minorem habens, quem pluviis ubertìm cadentibus & nivibus in vicinis montibus liquefactis adauctus tranſgredi ſolet, & campos inundare; unde urbs eſt aditu perquam difficilis tempore hiemali ob paludes. Effunditur in ſinum *Elæ-*

*enſem*,

*enſem*, non procul ab *Elæa* urbe *Æolidis*, hodiè à *Turcis*, ni malè memini, *Ayaſman* dictâ, ad *Occidentem*. Hinc merces aliáque *Pergamum* devehuntur, (nec enim propiùs accedunt naviculæ) à quo fortean duodecim millia paſſuum diſtat. Amnis autem hic limes eſt, qui *Æolidem* à *Myſiâ* diſterminat.

*Pergamus*, olim metropolis *Myſiæ Olympicæ*, (perparvâ variatione à *Turcis* dicta *Bergamo*) ſexaginta ferè quatuor mille paſſus verſus *Circium* à *Smyrnâ* diſſita, ſub præalto & præcipiti monte jacet, quo adverſum flatus *Boreales* ſatis munitur. Urbi imminet arx in vertice montis poſita, ab antiquis *Aſiæ* minoris *Dominis* extructa, quod innumeris indiciis patebat: hanc *Turcæ* jam ab omni ſuſpicione belli ſecuri, & ſibi ab hoſtibus in hiſce regionibus mediterraneis neutiquam metuendum eſſe cenſentes, negligunt, utpote tormentis reliquoque apparatu bellico deſtitutam.



Digitized by Google

tam. Illic hæc Epigraphe marmori cuidam à *Senatu populóque Pergameno* erecto inſculpitur.

ΓΑΙΟΝ ΑΝΤΙΟΝ ΑΥΛΟΝ ΤΟΥΛΛΙΟΝ ΑΥΛΟΥ
ΥΙΟΝ ΚΟΥΑΔΡΑΤΟΝ ΔΙΣΥΠΑΤΟΝ ΑΝΘΥ
ΠΑΤΟΝ ΑΣΙΑΣ ΣΕΠΤΕΜΟΥΙΡΟΝ ΜΕ
ΠΟΥΛΩΝΟΣ ΦΡΑΤΡΕΜΑΡΟΥ ΟΥΑΛΕΝ
ΠΡΕΣΒΕΥΤΗΝ ΚΑΙ ΑΝΤΙΣΤΡΑΤΗΓΟΝ
ΚΑΙ ΒΕΙΘΥΝΙΑΣ ΠΡΕΣΒΕΥΤΗΝ ΑΣΙΑΣ
ΠΡΕΣΒΕΥΤΗΝ ΣΕΒΑΣΤΟΝ ΕΠΑΡΧΙΑΣ
ΚΑΠΠΑΔΟΚΙΑΣ ΑΝΘΥΠΑΤΟΝ ΚΡΗΤΗΣ
ΚΥΠΡΟΥ ΠΡΕΣΒΕΥΤΗΝ ΣΕΒΑΣΤΟΝ
ΣΤΡΑΤΗΓΟΝ ΛΥΚΙΑΣ ΚΑΙ ΠΑΜΦΙΛΙΑΣ
ΠΡΕΣΒΕΥΤΗΝ ΚΑΙ ΑΝΤΙΣΤΡΑΤΗΓΟΝ
ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ ΝΕΡΩΝΟΣ ΤΡΑΓΑΝΟΥ
ΚΑΙΣΑΡΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΥ ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΥ
ΔΑΚΙΚΟΥ ΕΠΑΡΧΙΑΣ ΣΥΡΙΑΣ Η ΒΟΥΛΗ
ΚΑΙ Ο ΔΗΜΟΣ ΓΩΝ ΠΡΩΤΩΝ ΠΡΟΧΩΡΩΝ
ΠΕΡΓΑΜΕΝΩΝ ΤΟΝ ΕΥΕΡΓΕΤΗΝ
ΕΠΙΜΕΛΗΘΕΝΤΑ ΤΗΣ ΑΝΑΣΤΑΣΕΩΣ
ΤΩΝ ΣΤΡΑΤΙΩΤΩΝ.

Quo autem de hac arce melius defendenda olim proviſum fuerit, ante-

murale quoddam lateri montis, longo quidem tractu, inſedit, cujus extremum propugnaculo claudebatur, ut ex ruderibus facilè conjectatus ſum. Dum plateas curioſe luſtrarem, mihi ædificia pulchra è quadrato lapide exſtructa, quæ adhuc durant, quam maximè placuerunt. Penè crediderim *Turcas* non illic habitare, *Pergamûmque* ipſis non ceſſiſſe: adeò omnia nitebant. Non poſſem quin primo aſpectu huic *Metropoli* gratularer, quòd tam benè cum ipsâ actum eſſet præ cæteris, quarum ſplendidæ ædes ſolo æquantur, iiſdemque fundamentis anguſta tuguriola & gurguſtia è luto ſole cocto, nullâ arte, nullis ornamentis, conſtructa inſiſtunt. Sed me ab hac placidâ cogitatione citò abripuêre ingentes ruinæ in *Orientali* urbis regione exſtantes, quibus equidem viſis, eo gravior animum concuſſit mœſtitia, quo antea magis lætabar. Hic quinque columnas marmoreas politiſſimas, viginti circiter pedes longas, capitulis

capitulis admodum curiosè elaboratis, recta linea intervallo prorſus æquali ſtantes inveni : ulteriùs, duas alias, ejuſdem prorſus ordinis & magnitudinis, non æquali ſpatio inter ipſas ſervato, quæ, inſtar tot fulcrorum, ſuſtentando parieti ipſis contiguo inſerviunt. His ex oppoſito reſpondet alia columnarum ſeries, quarum epiſtylia deficiunt, duabus humi jacentibus. Magis ad *Orientem* verſus planitiem, Eccleſiæ Cathedralis, olim D. *Joannis* memoriæ conſecratæ, ruinas vidi : E latere condita eſt, quinquaginta ſex paſſus longa, lata triginta duos; placuit enim eam ambulando metiri ( neque enim alia ratio mihi ſuppetebat *Templorum* aut *Amphitheatrorum* dimenſiones cognoſcendi, uti nec *Columnarum*, niſi ſolâ conjectura; quod hic monendum duxi, ne *Tibi* aut mihi etiam fraudi ſit, ſi forte in hiſce menſuris aſſignandis alicubi errem. ) Parietes altùm aſſurgunt, duobus feneſtrarum

ab alterutrâ parte ordinibus ſuperimpoſitis: In ipſâ *Eccleſiæ* nave aliquot reſtant columnæ, ſed adeò mutilatæ, ut à debitâ altitudine maximè deficiant. *Turcæ* enim præ ignavia, labori effodiendi terram, quo integræ eruantur, parcentes, eas diſrumpunt & intercidunt, ubi ſupra ſuperficiem eminent, quarum partes illorum uſibus non minùs commodè inſerviunt, eas nimirum utriſque ſepulchrorum extremitatibus affigendi. Harum ingens copia ubique in *Turcarum Cœmeteriis*, quæ ſunt extra urbes & oppida prope vias publicas, oculis noſtris obverſabatur, dum iter fecimus. Ferè contigua ſunt duo rotunda ædificia, quorum alterum alteri par, ab alterutrâ *Eccleſiæ* parte, quibus aditum præbent portæ excelſæ: in *Hypogæum* deſcendimus, quod multis fornicibus & columnis ſuffultum grave illud pondus ſuperimpoſitum (muri enim ſaxei ſunt valde craſſi) ſuſtinet. Superiorem urbis partem

tem alluit *Selinus*, cujus aquæ ob vada tumultuantes curſu rapidiſſimo verſus *carbam* in *Caicum* feruntur: ſuper hoc fluentum ædificantur aliquot pontes lapidei, quo facilius in varias urbis plateas eatur. Trans *Selinuntem* adhuc reſtat pulchra & ampla *Eccleſia*, olim *Sanctæ Sophiæ* titulo ornata, ad quam gradibus lapideis aſcenditur, quam hodie polluunt *Turcæ*, utpote in *Moſcheam* converſam. In hujus amnis ripâ oſtium cujuſdam cryptæ, quæ ad arcem uſque exporrigitur, obſervavimus, cujus artificii beneficio aquam, dum obſidione premerentur, ſibi olim derivarunt.

Ad *occidentem* in colle viſebantur ingentes quædam ſaxeæ ſubſtructiones, quibuſdam cameris arcuatis integris manentibus. In tantâ rerum caligine ac confuſione, ne locus quidem conjecturæ datur, quales olim eſſent. *Græci* ſuas penitùs ignorant antiquitates, *Turcæ* quoque iſtiuſmodi ſtudia derident & deſpicatui

 habent;

Digitized by Google

habent: Aliqui tamen ex his,qui paulò ſapientiores cæteris cenſeri cuperent, nobis retulêre haſce ruinas eſſe *Gynæcei* (*Kiz Serai*) de anteactorum ſeculorum moribus, quorum ne minimam quidem habent notitiam, pro fœdo rerum conceptu, ex hodiernâ *Imperatorum* ſuorum praxi, ſtatuentes,quaſi in his ſine aliquo diſcrimine conveniſſet. Propè aderant ad *Auſtrum* aliæ moles, fornicibus ſuſtentatæ, quæ etiam hodie, licet dirutæ & collapſæ ſint, tamen magnificæ videntur. Hinc poſtquam urbem & planitiem protenſam avidis oculis conſpexiſſemus, ad aream *Theatri*, cujus graduum veſtigia adhuc manent, deſcendebatur. Inter deſcendendum in marmor quoddam incidi, cui inſcriptum erat ΗΡΑΚΛΗΣ: In latere oppoſito ſtatua marmorea ſub ruderibus ſepulta abſconditur, quæ à paupere *Chriſtiano* tolli curavimus. Hic enim unicus videtur modus eam integram ſervandi, cum *Turcæ* in figuras hominum

ſive

ſive penicillo, ſive ſcalpro, ſive curioſo operis *Moſaici* artificio elaboratas tanto odio exardeſcant, ut ſi modò ſub dii luminis auras exſtaret, naſo abſciſſo oculiſque excavatis citò ab iiſdem deformaretur. Non longè ab urbe in *notolibicum* nos invitavit ingentium ſaxorum proſpectus, quæ ex ſitu, dum integra ſtarent, propugnaculum olim condidiſſe conjecimus: ſubtus, concamerationes quædam in modum ambulacrorum, præter uſum fundamenti, reponendis & recondendis tum belli tum annonæ proviſionibus deſignatæ eſſe videbantur, licet hodie capræ & oves illic ſtabulentur.

In areâ cujuſdam balnei publici hanc epigraphen epiſtylio columnæ valdè in terram depreſſæ inciſam reperi.

MA. AEMILIO AUR. PUB. PROCULO PRÆF.
FABR. MA. LEPIDI AUG. PROCUR.
SACRUM.

Adhuc

Adhuc caput bovis eidem quoque inſculptum ſignanter exſtat. Urbs ferè tota occupata eſt à *Turcis*, pauciſſimis illic *Chriſtianorum* familiis hodiè relictis, quorum ſtatus admodum triſtis & deplorandus eſt. Hic una eccleſiola *Sancti Theodori* memoriæ ſacrata exſtat; & ne nomen *Chriſti* in *Pergamo* penitùs deleretur, pia *Metropolitæ Smyrnenſis* curâ cautum eſt, qui ſacerdotem ad fungendum ſacris officiis ad ipſos continuo mittit. Hortorum culturæ maximè vacant, aliaque vilia obeunt munera, quibus ſi pauculos nummulos exactoribus rigidiſſimis pro capite pendendos ( tributum hoc *Turcicè* appellant *Haratch* ) corradant, de cæteris vix ſunt ſoliciti, utpote ſervituti tam deploratæ adeò addicti, ut ad eam longo uſu & patientiâ penè occaleſcant.

Sexto: *Pergamo* diſceſſimus, *Thyatira* exinde ituri, quam urbem ferè ad *Notapeliotem* habet. Trajectis iterum fluminibus prope urbem, poſtquam

quam quatuor horis in pulcherrimâ & feraciſſimâ planitie progreſſi fuiſſemus, ad flumen aliud, *Hyllum*, ni fallor, ventum erat; Poſt, *Somam*, oppidum peramplum in devexitate montis præalti ſitum, attigimus, deinde *Kirk-agatch*, oppidulum à numero quadraginta arborum nomen habens, tandemque *Bok-hair*, manſionem noſtram, viculum ob bellum proſpectum, unde nomen habet, quam maximè commendabilem.

Septimo, duodecim ferè ab hoc viculo milliaribus, paulò extra viam publicam columnas ultra quadraginta vidi, harum aliquæ in terrâ valdè depreſſæ exſtabant, aliquæ in gramine jacebant: ſed nulla rudera propè aderant. Unde aliunde advectas quaſi in alienum locum crediderim. A viculo *Mader kui* in colliculo poſito, ſub quem defluit amnis, *Thyatira* una horâ pervenimus.

*Thyatira*, urbs *Lydiæ*, hodiè à *Turcis Ak hiſar*, i.e. *album caſtrum* nuncupata,

cupata, à *Pergamo* quadraginta octo aut circitèr milliaribus diſtantia in planitie conduntur. Hîc omnia primo aſpectu adeò ſordebant, ut urbem hanc non à prioribus *Aſiæ* minoris incolis, qui pulchris ædificiis delectabantur, eorumque magnificentiæ & nitori ſtudebant, ſed à *Turcis* ab origine planè habitatam eſſe penè contra fidem Hiſtoriæ ſuſpicari auſus eſſem: unicum enim ædificium antiquum invenimus, quod forum olim fuiſſe videbatur, columnis ornatum, quarum quatuor tantùm eminent, cæteris multùm defixis in terrâ. Sed eccleſiarum dirutarum ne exſtant quidem veſtigia: Iterum inveſtigamus, nec indiligentèr, ſed fruſtra; de hac re ideò, quæ nobis tantam moleſtiam faceſſivit, quoſdam *Turcas* conſuluimus, qui ingentia quædam ædificia ex lapide quadrato ſubtus terram multis in locis aggeſtam & accumulatam nobis retulêre: quod facilè à nobis admiſſum erat, qui effoſſa terra ordinatam ſaxorum ſeriem

Digitized by Google

em & validiſſima fundamenta ingentibus ædificiis ſuſtinendis non imparia alicubi in his regionibus obſervavimus. Hanc autem urbem eſſe *Thyatira* ex antiquis commentationibus & quibuſdam inſcriptionibus illic repertis jam extra omne dubium ponitur, licet *Græci* hodierni, qui profundâ & planè prodigioſâ harum *Antiquitatum* ignoratione laborant, *Tiriam*, oppidulum, quod ab *Epheſo* viginti quinque mille paſſus ad *Notapeliotem* diſtat, pro iiſdem ſumendam eſſe contendant; affinitate ſoni planè decepti, eodem levi prætextu, quo aliqui *Laotik*, oppidum non procul ab *Ancyra*, (*Turcis* hodiè *Anguri*) eſſe *Laodiceam* crediderunt, cum eandem juxta *Lycum* & *Hierapoli* ex adverſo oppoſitam eſſe è *Geographia* veterum certiſſimis indiciis liqueat.

Adhuc latuerant *Thyatira*, niſi clariſſimus D. *Conſul Smyrnenſis*, reverendus *D. Luke* Mercatorum *Anglorum* ſocietati illic degentium à ſacris concio-

concionibus, aliique, quibus ſuſpectum erat *Græcos* in hac urbe deſignandâ erraſſe, itinere ſuſcepto ea inveſtigatum iviſſent, tandémque feliciſſimè detexiſſent: ſed ecce quam firmiſſimam fidem faciunt antiquiſſima marmora.

In medio foro deſuper tecto, ne perpluat, in baſi cujuſdam columnæ hanc epigraphen pulchris & conſpicuis characteribus inciſam reperi.

Η ΚΡΑΤΙΣΤΗ ΘΥΑΤΕΙ
ΡΗΝΩΝ ΒΟΥΛΗ ΚΛΩ
ΔΙΟΝ ΑΥΡ ΠΡΟΚΛΟΝ
ΗΡΩΑ ΑΝΔΡΑ ΕΥΓΕΝΗ
ΕΠΙ ΣΕΜΝΟΤΗΤΙ ΒΙΟΥ
ΚΑΙ ΑΡΧΑΙΣ ΚΑΙ ΛΕΙΤΟΥΡ
ΓΙΑΙΣ ΠΑΣΑΙΣ ΔΙΑΤΕΛΥ
ΤΟΥ ΚΑΙ ΤΟΥ ΓΕΝΟΥΣ.

Vidi quoque in latere ſaxeæ ſandapilæ, ciſtæ, cui operculum ſublatum eſt, formam referentis, in area amplæ

plæ domûs aliam epigraphen, ſex longis lineis conſtantem, literis verò minutioribus & ſibi invicem ferè ſine diſtinctione verborum adhærentibus, quarum etiam multæ exciſæ erant, in quâ nomen urbis τῶν ΘΥΑΤΕΙΡΗΝΩΝ bis occurrebat.

In ejuſmodi monumento ſepulchrali in officina *Alutarii* planè legebantur hæc verba.

ΣΕΟΥΗΡΟΝ....
ΕΥΤΥΧΗ ΣΕΒΑΣΤΟΝ.....
ΤΗ ΚΑΙ ΜΕΓΙΣΤΗ ΘΥΑΤΕΙΡΗΝΩΝ
ΠΟΛΙΣ.

. . . . .

. . . . .

ΑΡΟΥΝΤΙΟΝ.....
...ΦΛΑΒΙΑΝΟΝ.

Alias inſcriptiones vidi, quarum aliquas in diario præſens annotavi; cum ne omnes quidem, quod maximè vellem, exſcribere potuiſſem: neque enim ſuppetiit opportunitas præ multitudine

multitudine *Turcarum*, tam virorum quàm puerorum, qui me inter ſcribendum circumſteterunt, nec tempus, eo quod quamplurima monumenta in ædium muros ordine inverſo ab his infeſtis literarum & antiquitatum hoſtibus conjicerentur, qui pro fatuitate ſuâ nos vix ſani capitis eſſe cenſerent, qui iſtud iter ſuſceperimus, ſaxum vetus, ut irriſoriè aiebant, intuendi cauſâ.

Crediderim cives olim, antequam Ethnicæ idolomaniæ tenebræ ab Evangelii luce fugarentur, ſedulos fuiſſe *Dianæ* cultores. In flexu plateæ propè fontem in lapide effracto, qui muro affigebatur, inter alia legi hæc:

ΑΡΤΕΜΙΔΙ .... ΟΡΕΙΤ.

Et in Cœmeterio extra urbem ad *Notozephyrum* perpulchrum monumentum memoriæ *Ulpiæ Marcellæ* hujus Deæ ſacerdotis à Senatu & populo dicatum exſtat cum hac epigraphe:

.... ΑΓΑΘΕΙ

ΑΓΑΘΗΙ ΤΥΧΗΙ
Η ΒΟΥΛΗ ΚΑΙ Ο ΔΗΜΟΣ
ΕΤΕΙΜΗΣΑΝ
ΟΥΛΠΙΑΝ ΜΑΡΚΕΛΛΑΝ
ΤΗΝ ΙΕΡΕΙΑΝ ΤΗΣ ΑΡΤΕ
ΜΙΔΟΣ ΜΑΡΚΟΥ ΟΥΛΠΙΟΥ
ΔΑΜΑΠΑΡΑΔΟΞΟΥ
ΚΑΙ ΚΑΝΙΔΙΑΣ ΒΑΣΣΗΣ
ΘΥΓΑΤΕΡΑ ΕΠΙΤΕΛΗ
ΣΑΣΑΝ ΤΑ ΤΗΣ ΘΕΟΥ
ΜΥΣΤΗΡΙΑ ΚΑΙ ΤΑΣ ΘΥ
ΣΙΑΣ ΛΑΜΠΡΩΣ ΚΑΙ
ΠΟΛΥΔΑΠΑΝΩΣ
ΑΝΑΣΤΗΣΑΝΤΩΝ ΤΗΝ*ΤΙ
ΜΗΝ ΑΝΔΡΟΝΕΙΚΟΥ ΤΟΥ ΑΝ
ΔΡΟΝΕΙΚΟΥ ΚΑΙ ΣΤΡΑΤΟΝΕΙ
ΚΗΣ ΤΗΣ ΜΗΝΟΓΕΝΟΥΣ
ΤΩΝ ΘΡΕΨΑΝΤΩΝ
ΕΚ ΤΩΝ ΙΔΙΩΝ

* *De voce hâc non adhuc mihi conſtat, an benè deſcripſerim, utpote penè evanida. cùm cæteræ eſſent maximè conſpicabiles.*

Ibidem

Ibidem quoque ſepulchrali ſaxo inſcriptum erat, ΑΓΟΣ.

In officina *Alutarii* nuper memorati.

...:ΞΕΝΩΝ......

ΚΑΙ ΠΡΕΙΜΩ Ε...

ΤΟΙΣ ΤΕΚΝΟΙΣ...

ΚΑΙ ΟΥΑΛΕΡΙΩ ΟΥΑ

ΛΕΡΙΟΥ ΓΡΑΜΜΑΤΙΚΩ

ΡΩΜΑΙΚΩ.

Huic inſcriptioni appoſiti erant hi quatuor verſus Latini.

VOTA SUPERVACUA FLETUSQUE ET NUMINA DIVUM

NATURAE LEGES FATORUMQUE ARCUIT ORDO

SPREVISTI PATREM MATREMQUE MISERRIME NATE

ELYSIOS CAMPOS HABITANS ET PRATA B VEATUM.

In angiportu ferè ad flexum viarum ad *Boreapolibtem* fori:

ΑΓΑΘΗ

ΑΓΑΘΗ ΤΥΧΗ
ΑΝΤ. ΚΛ. ΑΛΦ. ΑΡΙΓΝΩΤΟΝ ΤΟΝ
ΚΡΑΤΙΣΤΩΝ ΕΠΙΤΡΟΠΟΝ ΤΟΥ ΣΕΒ
ΑΡΧΗΣ ΛΕΙΒΙΑΝΗΣ ΕΠΑΡΧΟΝ ΕΙΛΗΣ
ΔΕΥΤΕΡΑΣ ΦΛ. ΑΓΡΙΠΠΑΝΗΣ ΠΡΑΙΠΟ
ΣΙΤΟΝ ΕΙΛΗΣ ΕΝΤΑ*ΛΑΡΙΩΝ ΧΙΛΙΑΡΧΟΝ
ΣΠΕΙΡΑΣ ΠΡΩΤΗΣ ΚΙΛΙΚΩΝ ΠΡΑΙΠΟΣΙΤΟΝ
ΤΗΣ ΣΠΕΙΡΑΣ ΣΑΙΤΟΥΛΩΝ ΕΠΑΡΧΟΝ
ΣΠΕΙΡΑΣ ΔΕΥΤΕΡΑΣ ΦΛ. ΝΟΥΜΙΔΩΝ ΠΡΑΙ
ΠΟΣΙΤΟΝ ΣΠΕΙΡΑΣ ΔΕΥΤΕΡΑΣ ΦΛ. ΒΕΣΣΩΝ
ΣΠΕΙΡΑΣ ΑΝΝΟΝΗΣ ΘΕΟΥ ΑΝΤΩΝΙΝΟΥ
....ΙΜΕΝΩΝ ΣΕΛΕΥΚΙΑΣ ΣΠΕΙΡΑΣ *ΠΙ*ΠΕΑΡΩ
....ΑΝΩΝ ΤΡΙΒΟΥ ΚΥΡΕΙΝΑ ΠΑΤΙΚΟΝ. ΣΥΓΓΕ
ΝΗ. ΥΙΟΝ ΚΑΙ ΕΚΓΟΝΟΝ ΑΡΧΙΕΡΕΩΝ ΑΣΙΑΣ
ΑΔΕΛΦΙΔΟΥΝ ΑΛΦ. ΑΠΟΛΛΙΝΑΡΙΟΥ ΕΠΙΚΗΝ
ΣΟΝ ΤΟΥ ΣΕΒ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΤΗΣ ΛΑΜΠΡΩΤΑ
ΤΗΣ ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ ΛΟΓΙ ...
ΤΑΤΗΣ ΣΕΛΕΥΚΙΑΣ ΠΕΙΣΙΔΙΑΣ ΚΑΙ ΑΛΕΞΑΝ
ΔΡΕΙΑΣ ΚΑΙ ΤΗΣ ΙΩΝ.. ΚΑΙ ΡΟΕΣΟΥ ΚΑΙ ΤΗΣ
.. ΤΡΙΑΝΩΝ ΠΟΛΕΩΣ ΚΑΙ ΤΡΟΠΗΣΙΩΝ ΚΑΙ ΤΗΣ
ΟΛΩΝΕΙΑΣ ΕΝ ΠΑΣΑΙΣ ΥΠΕΡΕΣΙΑΙΣ ΤΡΑ
ΣΙΩΝ .... ΤΟΝΟΤΑΤΟΝ ΙΕΡΕΑ ΤΟΥ ΠΡΟ
ΠΑΤΟΡΟΣ ΘΕΟΥ ΤΥΡΙΜΝΟΥ.

ΟΙ ΒΑΦΕΙΣ.



Digitized by Google

Urbs hæc ingenti aquæ beneficio gaudet, ob quam nitidiſſima foret, ſi à *Turcis* non incoleretur. Illa enim per ſingulas plateas fluit, à vicino monte ad *orientem* ſcaturiens, & inde per ter mille tubulos, ſi *Turcis* id aſſerentibus credendum ſit, derivata. Civibus abundat *Turcis*, qui hic octo numerant *Moſcheas*, cum ne una quidem *Eccleſia Chriſtiana*, quantum memini, illic reperiatur: adhuc celebris eſt ob goſſipii mercaturam, quod hinc *Smyrnam* fertur, in orbem *Chriſtianum* navibus avehendum.

Octavo die, cum à *Thyatiris* uno milliari aberamus, monumentum quoddam à longe vidi; quale eſſet, vellem quidem intueri, ideò propius acceſſi, & ſandapilam eſſe lapideam reperi cum hac epigraphe:

ΤΟΝ ΓΗΣ ΚΑΙ ΘΑΛΑΣ<br>ΣΗΣ ΔΕΣΠΟΤΗΝ ΑΥ<br>ΤΟΚΡΑΤΟΡΑ ΚΑΙΣΑ<br>ΡΑ. Μ. ΑΥΡ. ΣΕΥΗΡΟΝ<br>ΑΝΤΩΝΙΝΟΝ ΕΥΣΕ<br>ΒΗ ΣΕΒΑΣ . . . . . .<br>. . . . Η ΔΙΟΝ ΙΑ<br>ΟΙ ΚΕΡΑΜΕΙΣ.

Tra-

Trajectis duobus à ſe invicem ad mille paſſus diſſitis fluentis, quæ ab eadem ſcaturigine, uti veriſimile eſt, orta, verſus *occidentem* decurrentia, planitiem interluunt, ad pagum *Selinte kui* pervenimus: huc illuc diſperſa jacuerunt quam plurima politiſſimi marmoris fragmenta aliaque rudera, quæ nobis fidem fecêre, licet ea curioſiùs rimari præ feſtinatione non licuerit, veteres *Græcos* hic olim ſedem habuiſſe. Placuit ſitus, qui valdè commodus videtur, cum nec ab eo longè diſtet rapidus amnis, aquas in *Hermum* effundens, quem neſcio an *Halyn*, *Cræſo* hujus provinciæ Regi adeò fatalem, an potiùs *Crionem* dicerem. Tandem ſuperato colle, qui leniter aſſurgit, *Marmoram*, oppidum perquam venuſtum, & *Moſcheis* & Collegio *Monachorum* ornatum, ingredimur. Non longè diſtat *ſtagnum Gigæum* ab *oriente* ad *occidentem* ſpatio quinque milliarium, uti mihi videbatur, in longum protenſum: prope quod, ut in-

 nuit

nuit *Herodotus*, ſtetit olim magnificum illud *Alyattis* parentis *Crœſi* ſepulchrum. Hinc ad planitiem *Magneſiæ* ventum erat, inſigniſſimæ illius pugnæ inter *Scipionem Aſiaticum* & Regem *Antiochum* initæ ſcenam; cujus victoriæ tota *Aſia* minor pretium erat, cæteris provinciis poſtea facilè debellatis, aut *Romanæ* magnitudini, cui reſiſti non poſſe hoc fatali bello demonſtratum erat, ſponte cedentibus.

*Magneſia* autem in monte *Sipylo*, qui *Ioniam* à *Lydia* ad *orientem* disjungit, ſita eſt, olim *Baſſæ* ſedes, jam *Moſelimum* i. gubernatorem quendam, dignitate & poteſtate *Baſſæ* proximum, habet, cui totius provinciæ cura committitur.

Relictis à dextra montibus *Maſtuſia* & *Sipylo*, ad oppoſitum planitiei latus, *Tmolo* monte, quem *Boz dâg*, i. *glacialem* appellitant *Turcæ*, clauſum, trajecto *Hermo*, tendebamus. Tandem poſt undecim horarum iter, *Sardes*, quæ triginta tribus milliaribus à *Thyatyris*

*tiris* verſus *Auſtrum* diſtant, attigimus.

*Sardes*, quarum nomen adhuc retinetur, à *Turcis* nuncupatæ *Sart*, in latere celeberrimi montis *Tmoli* verſus *ſeptentriones* ſitæ ſunt: urbi prætenditur ampla & jucundiſſima planities, *Pactolo* ad *eurum*, aliiſque aquarum fluentis à vicino monte verſus *euronotum* ſcaturientibus, quæ in *Hermum* cadunt, irrigua. Hic primo intuitu ſubibat animum, quantum vetuſtas poſſit, quantum terræ motus, quantum belli furor, ſed præcipuè quantum ira Numinis, quæ haſce intulit clades. Triſte erat ſpectaculum, nec tantæ urbis ruinis illachrymari puduit. *Sardes* in *Sardibus* quærebamus. Viculus enim hodie ignobilis eſt, ædes anguſtæ & humiles, ſine ſplendore, ſine ornatu: nec alios ferè incolas habet præter paſtores & bubulcos, qui gregum & armentorum in planitie depaſcentium curam agunt. Cum verò *Perſicæ Caravanæ ſerico*, aliiſque mercibus onuſtæ,

 *Smyrnam*,

Digitized by Google

*Smyrnam*, celebre *Orientis* Emporium, petituræ, *Sardes* attingant, hic extructum eſt publicum quoddam hoſpitium, iſtis recipiendis,& à frigoris,ventorum, ac pluviæ violentia defendendis deſtinatum. Sanè magnam apud *Turcas* famam acquirunt, qui iſtiuſmodi ædes condunt,aut fontes in publicas vias derivant deducuntque, quo peregrinantibus ſubveniatur. Inter opera pia, quæ animæ cedunt in bonum, numerantur, licet quandoque *Baſſarum* alia mens,aliud propoſitum: nimirum ad amoliendam invidiam, ne nimium ſevera in ipſos,qui tantas opes congeſſêre, fieret inquiſitio. Ab hujuſmodi hoſpitiis planè abhorruimus, omnia illic palam fiunt, omnes ſub eodem tecto hoſpitantur, ſtabulantur quoque illic equi & cameli unâ cum Dominis; ideo, ſi optio daretur, in equilibus privatarum ædium pernoctare nobis magis commodum videbatur, quam hæc tecta ſubire. Sed *Sardibus* non contigit hæc felicitas,

citas, barbaris & ſuperſtitioſis incolis nos in ædes ſuas recipere planè renuentibus.

In *Auſtrali* urbis regione ingentes exſtant ruinæ, quibus viſis, facilè in animo concipiebamus, quam magnifica olim fuerit, quam ſplendida & ſuperba, antequam everteretur. Sex illic columnæ eminent, viginti circitèr pedes altæ; propè, humi jacent confuſi ingentium ſaxorum aggeres, quæ columnas alias hodie dejectas & diſruptas conſtituebant, alio in integris columnis alii ſuperimpoſito ac tam arctè coagmentato, ut ne commiſſura quidem appareat.

Hinc arcem, quæ ab *Oriente* eſt, aſcendimus, magno quidem cum labore; mons enim præaltus eſt & præruptus, multiſque in locis fere præceps ad perpendiculum, unde longis circuitionibus opus erat. Hanc, modò integra maneret, ſi hujus ævi inventa bellica ſpectemus, facile ſubrui

rui potuiſſe credimus, cum terræ, nec admodum firmæ, ſubfuſci coloris, innitatur, licet forte ſuperioribus ſeculis, quæ prodigioſa pulveris pyrii vis latuit, & quibus nullæ machinæ in uſu erant præter baliſtas & arietes, planè inſuperabilis cenſeretur. Muri adhuc durant, una cum quibuſdam cameris arcuatis. Prope aditum à ſiniſtra in muro hanc epigraphen legi.

ΩΠΑΝΑΡΙΣΤΕ ΒΟΚΟΝΤΙΕ
ΣΑΙΣ ΑΤΕΛΕΣΤΟΝ.
ΕΡΓΟΝ ΒΟΙ ΠΡΑΠΙΣΙΝ
ΤΟΙΑ ΠΟΝΗΣΑΜΕΝΩ.

Fortè vocabulum ab Anaglypte omiſſum erat, ad complendum tum ſenſum, tum verſiculum, neceſſariò requiſitum; uterque enim mancus videtur.

Propè, ſed in alterâ muri facie, vetuſtis characteribus ſaxo, quod illic caſu, quantum judico, affixum erat, inſculpebantur hæc verba:

ΝΤΩΝ

* Ν ΤΩΝ ΔΙΑ ΤΥΠΩΘ ΗΤΟΙ ΚΕΞΩΡΙϹ
ΘΕΝΤΩΝ ΑΝΟϹΙΩΝ Κ ΜΥϹΕΡΩΝ ΕΛΛΕ * Α
ΝΩΝ ΠΑΡΑ ΥΠΕΡΕΧΙΟΥ ΤΟΥ ΕΝΔΟ
ΞΟΤΑΤΟΥ ·· ΙΕΡΕ ΚΑΙ ΔΙΚΑΣΤΟΥ
:·· ΠΟΣ ΕΙϹ ΤΟΝ ΑΡ. ΣΤ ΩΝ
······ ΠΙΣΤ Η

Intra arcis aream ſuper capitulum columnæ,

ΦΙΛΗ ΤΙΜΩΛΙΣ ΕΤΕΙΜΗ
ΣΕΝ ΕΚ ΤΩΝ ΙΔΙΩΝ ΤΙΒΕ
··· ΟΝ ΚΑΙΣ

Satis notum eſt ex *Strabone*, quam benè de hac urbe terræ motu penè dirutâ *Tiberius Imperator* meritus fuerit, in cujus benevolentiæ memoriam hanc columnam ipſi dedicatam fuiſſe par eſt quod credamus.

Ad *Orientem*, *Eccleſiæ Cathedralis*, ut videbatur, ruinas luximus. Prope quas ſunt ingentis ædificii reliquiæ, circuitu ſuo grande ſpatium occupantes, muris longùm excurrentibus nondum dirutis. Quale eſſet, an Præfecti *Palatium*, an *Judiciale Forum*, an denique *Curia municipalis*, omnino in-

incertum eſt, & planè pudet hariolari: longo quidem tractu rudera conſpeximus, quæ demonſtrant ſatis, hanc eſſe præcipuam urbis regionem, ædibúſque olim refertiſſimam. *Turcæ* unicam habent *Moſcheam*, pulchram quidem, olim *Chriſtianorum* templum, cujus propylæum columnis affabrè politis ornatum eſt. Pauci admodum hic reperiuntur *Chriſtiani*, ingenti patientiâ, vel potiùs ſtupide ac ſine ſenſu, miſeram ſervitutem ſuſtinentes, ſed quod longè miſerius eſt, abſque *Eccleſiâ*, abſque *Sacerdote*. En deplorandum urbis quondam glorioſiſſimæ ſtatum! Ad congeriem caſularum redacta eſt *Lydiæ* urbs primaria, & *Sedes Metropolitica* deſtituitur *Eccleſiola*.

Decimo die, relictis *Sardibus*, iter *Philadelphiam* verſus proſequimur, fluentis quibuſdam à *Tmolo* ortis, quæ uberem & fœcundam reddunt planitiem, ſubinde trajectis: tandem poſt iter novem horarum illic pervenimus.

*Philadelphia*

Digitized by Google

*Philadelphia* à *Sardibus* ad *Euronotum* viginti ſeptem milliaribus aut circitèr diſtat, in radice montis *Tmoli* ſita: cujus ædes ob clivum, qui lenitèr aſſurgit, pendulæ videntur, unde ferè ab omni parte in planitiem ſubjectam verſus *Septentrionem* & *Orientem* proſpicere licet. Hodie à *Turcis* nuncupatur *Alah Shahr*, ſive *pulchra urbs*, nempe ob hunc ſitum commodiſſimum: nihil enim quod pulchrum aut magnificum eſt, jam reperiri poteſt, nihil, quod tale nomen meritò indat. Olim triplici murorum ordine verſus planitiem, cum ab altera parte mons pro munimento fuerit, munita, quorum intimus adhuc manet, non integer quidem, (utpote hic illic dirutus) cui inædificantur turres. Non hiſce munitionibus tantum, quantum propriâ fortitudine confiſi *Philadelpheni* atrociſſimos *Urchanis* & *Amuratis* impetus repulêre, eo tempore, quo tota *Aſia* minor militaribus *Ottomanorum* copiis, hâc urbe exceptâ, in prædam & ludibrium

brium ceſſit. Non ipſos moverunt frequentes illorum victoriæ, non minæ: libertas vitâ longè charior videbatur, quam tantâ vi, tanto furore oppugnatam, non minùs viriliter & furiosè vindicabant. Sola *Philadelphia* invicta erat, ſola, quæ eorum victorias ſufflaminavit. Sed fato non obſiſtitur; aliter his civibus ſalva & defenſa fuiſſet. Puduit *Bayazidem* (quem *Turcæ Yilderim* i. e. *Fulmen* nuncupant) illam nondum triumphatam eſſe: ideò urbem numeroſo exercitu cingit, injuriam illius armis, hucuſq; victricibus, quaſi factam vindicaturus. Omne auxilium miſeris civibus præterclusum eſt, & ſalus à ſolâ deſperatione quærenda. Irruunt in caſtra barbarorum hoſtium, ſed incaſſum; cadunt, licet non inulti. Tandem expugnatur ſuccumbitque *Philadelphia*, prædamque captat *Bayazides*, cui inhiarunt pater & avus, eluſi. Cives ab effero & irato Tyranno extrema paſſos fuiſſe credibile eſt. Sola conjectura eſt, quam jam profero;

profero, hujus ſtragis, cujus ille author erat, veſtigia adhuc reſtare. Ad mille enim quingentos ab urbe paſſus verſus *Auſtrum* craſſum murum ex oſſibus humanis cum lapidibus gypſo confuſim permiſtis conſiſtentem vidi; illum hoc iræ ſuæ in obſtinatos hoſce cives monumentum erexiſſe veriſimile mihi videtur: mihi enim pene conſtat, facinus adeò horrendum & ab omni humanitate prorſus alienum non niſi à *Turcis* perpetrari potuiſſe.

Poſt obſidionem adeò arctam longámque neutiquam mirandum videbitur, ſi pauca *antiquitatis* monumenta ſuperſint, eidem cladi pariter obnoxia. Marmora quædam vidi characteribus inſignita, ſed ea aut deorſum fracta, & exciſis literis deformata, aut ſi in parietibus ædium integra manerent, inverſa. In cœmeterio quodam *Græcorum* hexaſtichon hoc ſaxo ſepulchrali inciſum reperi:

ΞΑΝΘΙΠΠΗΝ

Digitized by Google

ΞΑΝΘΙΠΠΗΝ ΑΚΥΛΑ ΜΝΗΜΗ ΒΙΟΥ ΠΑΡΕΔΩΚΕ.
Υ
ΒΩΜΩ ΤΕΙΜΗΣΑΣ ΣΕΜΝΟΤΑΤΗΝ ΑΛΟΧΟΝ
ΠΑΡΘΕΝΟΣ ΗΖ ΑΠΕΛΥΣΕ ΜΙΤΡΗΝ, ΗΣ ΩΡΙΟΝ ΑΝΘΟΣ
ΕΣΧΕΝ ΕΝ ΗΜΙΤΕΛΕΙ ΠΑΥΣΑΜΕΝΟΝ ΘΑΛΑΜΩΙ
ΤΡΕΙΣ ΓΑΡ ΕΠΕΙΚΟΣΙΟΥΣ ΤΕΛΕΟΣΕ ΒΙΩΝ ΕΝΙΑΥΤΟΥΣ
ΚΑΙ ΜΕΤΑ ΤΟΥΣ ΔΕ ΘΑΝΕΝ ΤΟΥΤΟ ΛΙΠΟΥΣΑ ΦΑΟΣ

Nobis maximè diſplicuit hæc rudera intueri, ſed in barbariem *Turcicam* planè excandeſcebamus, dum ad Sancti *Johannis* eccleſiam ad *Euronotum* urbis, olim, uti amplitudo ipſius penè demonſtrat, *Cathedralem*, jam ſterquilinium factam nos convertimus: in quam purgamenta conjiciunt impuri *Turcæ*. Ad *Auſtrum* fluit amnis, à monte ortus. Colliculi vineis, quas colunt *Græci*, conſiti ſunt, ſed à vino conficiendo, autumno proximè elapſo, abſtinuerunt, edicto *Imperatoris*, quo vetitum erat, territi, ut, prout mihi narravit *Græcus Pappas* i. ſacerdos, ad ſacros *Euchariſtiæ* uſus vix ipſis ſuppeteret. Neſcio an dicerē cum poſteris eorum, qui in defendendâ *Chriſtianâ* religione mortem adeò forti-

ter

Digitized by Google

tèr oppetiêre, ideò melius actum eſſe: hi enim quatuor *Eccleſias*, quæ τ̃ παναγίας, ſeu *Sanctiſſimæ Virginis*, S. *Georgii*, magnæ apud *Christianos Orientales* famæ, S. *Theodori*, & S. *Taxiarchæ* nominibus inſigniuntur, hic habent, unde eorum numerum neq; parvum neque contemnendum eſſe quis facilè cenſeat.

Duodecimo, poſt tres horas amnem *Cogamum* pleno aquarum decurſu, anguſto licet in canali, à *Tmolo* labentem trajecimus: deinde montem illum relictâ planitie aſcendimus, viâ quidem præcipiti & ſaxeâ: denſis pinorum & abietum ſylvis utrumque latus & jugum obtegentibus. E quibus egreſſi, in radice oppoſitæ partis apud viculum *Koſh Tenige kui* dictum pernoctavimus, duodecim horarum itinere feſſi.

Decimo tertio die. Ferè ad quingentos abhinc paſſus ad ſiniſtram exſtant ingentia ſaxa aggeratim congeſta, urbis antiquæ, forſan *Tripoleos*, quam

quam non longè ab *Hierapoli* eſſe memorant veteres ſcriptores, rudera: prope quam tortuoſus ille *Mæander* decurrit, quem, non ſine difficultate, vadis tandem repertis, trajecimus. Spatio deinde quatuor horarum attigimus *Hierapolin.*

*Hierapolis*, hodiè à *Turcis Pambuk Kulaſi*, i. e. *goſſipina turris* dicta, ob rupium clivos, qui à longè inſtar goſſipii candicant, urbs majoris *Phrygiæ*, ſub excelſo monte ad *ſeptentrionem* conditur, *Laodiceæ* ad *auſtrum* ex adverſo oppoſita, planitie quinque circitèr mille paſſus latâ intercedente, quam interluit *Lycus*, *Laodiceam* tamen propiùs attingens: ſitu, ut videtur, perquam incommodo, ac ob nimium ſolis calorem, cui tota patet, infeſto. Sed hoc quicquid eſt incommodi abundè penſatum eſt *aquis calidis*, quibus ſuam debet magnificentiam *Hierapolis*, & quarum gratiâ tantam celebritatem olim adepta eſt. Balneum illud unde ſcaturiunt,

marmore

Digitized by Google

marmore candido ſtratum eſt,in quod columnæ, quæ id olim circumambiebant, conjiciuntur. Aquæ autem continuo fluxu quoſdam canaliculos ſibi excavavêre, quibus ſupergreſſæ, albicantis terræ ſuperficiem in tophum maximè friabilem convertunt. Jam penitùs everſa eſt, incoliſque deſtituta, cujus tamen ruinæ illam magnificentiam & gloriam præ ſe adhuc ferunt, ut, dum eas circumſpicerem, neſcio an mentem meam major invaſerit horror an admiratio. Lugebam quoque hujus admirandæ urbis verè flebilem & miſerandam ſortem; tot templa intercidiſſe mihi doluit, quorum parietinæ adhuc durant;ubiq; erant altaria, fornices, & columnæ priſtinum ſplendorem & gloriam retinentes, palatiorum aliarumque inſigniſſimarum ædium appendices; ut inter præcipuas non ſolius *Orientis*, ſed totius mundi urbes recenſeri,dum ſtaret,mereretur. Nomen verò *Sacræ Urbis* fortè ipſi impoſitum erat, tum

ob numerum fanorum, quibus, magnis expenſis & longè majori curâ & arte exſtructis, olim ſuperbiebat, tum ob aquas, quibus vim ſalutarem & medicinalem ineſſe crediderunt. Quâ de cauſâ *Apollinem* hic olim præcipuè cultum fuiſſe vero quam maximè proximum eſt. In *Amphitheatro*, cujus ambitus ampliſſimus eſt, nec minoris profunditatis, ( numeravi enim illic gradus ſaxeos ultra quadraginta) inter deſcendendum in quoddam politiſſimi marmoris fragmentum affabrè elaboratum, olim, ni fallor, portæ ornamentum, incidi, cui inſcriptum erat, ἈΠΟΛΛΩΝΙ ἈΡΧΗΓ. Ex ſepulchris quædam adhuc ſuperſunt, planè *Mauſolea*, integra quidem & illæſa, quaſi mortuis parcendum eſſe inter tot clades, quas urbs paſſa eſt, lex naturalis vel efferis hoſtibus juſſerit, eorumque monumenta demoliri planè ſacrilegum eſſe videretur. Horum aliquibus ſuperincumbunt ſaxa ingentia in cubos efformata, alia inſtar ſuggrundiorum

grundiorum ab utraque parte propendentia. Inſcriptionibus propemodum omnia inſignita erant, quarum aliquæ tot lineis, iiſque valdè in longum protenſis, conſtat, ut non epitaphium ſed hiſtoriolam continere videantur. Sed hic, ubi etiam ſub dio pernoctare vellem, non licuit morari: nobis enim relatum erat, famoſum latronem, *Inge Morad* dictum, cum viginti duobus ſicariis, quibus præfuit, illâc nuperrimè prætеriiſſe, & propè adhuc morari. Ideò ne curioſitati vitam poſtpoſuiſſe videremur, *Hierapolin* mœſti reliquimus. Dum verò monumenta aſpicio, haſce tres inſcriptiones, utpote breves, properante calamo exſcribo.

Ο ΒΩΜΟΣ ΚΑΙ ΑΙ ΣΩΡΟΙ
ΑΙΛ ΠΑΙΤΟΥ ΑΥΡΕΛΙΑΝΟΥ

ΤΟΥΤΟ ΤΟ ΗΡΩΟΝ
ΣΤΕΦΑΝΟ·
ΕΡΓΑΣΙΑ
ΤΩΝ ΒΑΦΕΩΝ

 ΦΛΑΟΥΙΟΣ

Digitized by Google

ΦΛΑΟΥΙΟΣ ΖΕΥΞΙΣ ΕΡΓΑΣΤΗΣ
ΠΛΕΥΣΑΣ ΥΠΕΡ ΜΑΛΕΟΝ ΕΙΣ Ι
ΤΑΛΙΑΝ ΠΛΟΑΣ ΕΒΔΟΜΗΚΟΝΤΑ
ΔΥΟ ΚΑΤΕΣΚΕΥΑΣΕΝ ΤΟ ΜΝΗΜΕΙ
ΟΝ ΕΑΥΤΩ ΚΑΙ ΤΟΙΣ ΤΕΚΝΟΙΣ ΦΛΑ
ΟΥΙΩ ΘΕΟΔΩΡΩ ΚΑΙ ΦΛΑΟΥΙΩ
ΘΕΥΔΑ ΚΑΙ Ω ΑΝ ΕΚΕΙΝΟΙ
ΣΥΝΧΩΡΗΣΩΣΙΝ.

Tribus poſt horis trajecto *Lyco* & ſuperato quodam monte, in planitie amygdalis & ficubus tectâ viculum ignobilem, quem ante ſeſquihoram reliquerant ſceleſtiſſimi latrones, attigimus. Hic nobis erat manendum, cum *Coloſſas*, licet non niſi quatuor mille paſſus diſſitas, petere vix eſſet tutum.

Decimo quarto die, *Coloſſas*, à *Turcis* *Chonos* dictas, in clivo montis ſcanſu perquam difficilis ſitas ingredimur, ſed tantummodo ad exeundum. Hic enim ab iiſdem latronibus quam maximè periclitabamur, nec minus à civibus, qui atroci in *Chriſtianos Occi-*

*dentales*

*dentales* odio flagrabant: apud quos reperiuntur pauci è gente *Græcorum*, qui inter tot opprobria, ac calamitates, quibus obnoxii ſunt, adhuc fidem *Chriſtianam* profitentur: nulla apud ipſos eſt Eccleſia, nullus ſacerdos, qui *Liturgica* prælegat, & ſacramentum *Euchariſtiæ* celebret. *Græcæ* linguæ penitùs obliti miſerrimi *Coloſſenſes*, *Turcicè* in familiari ſermone loquuntur. Inter eundum nobis occurrebat tercentum equitum *Turcicorum* turma, quorum ductor erat *Vaivoda* ſeu Præfectus *Dinghilſleiæ*; ( *Dinghilſleia* oppidũ eſt nitidum & amplum quater mille paſſus à *Laodiceâ* diſſitum. ) Hi ſicarios; qui totam hanc provinciam ſuis deprædationibus infeſtârant, inſequebantur. Tandem ſpatio ferè ſeptem horarum *Laodiceam*, quam *Coloſſæ* ad *Occidentem* habent, pervenimus, prope cujus ruinas ad *Boream* in pago, cui nomen eſt *Congeleb*, hoſpitabamur.

*Laodicea*, hodie à *Turcis* dicta *Eski*

*Hiſar* i: *vetus Caſtrum*, urbs *Lydiæ*, ſuper ſex ſeptemve colles poſita eſt, qui circulum, cujus perimeter ingens terræ ſpatium occupat, quaſi conficere videntur : Ad mille quingentos paſſus verſus *Boream* & *Boreapeliotem* dilabitur *Lycus*, latera verò urbis alluunt duo fluenta, *Aſopus* & *Caper*, alterum ad *Occidentem*, ad *Euronotum* alterum, quæ in *Lycum* cadunt, uti *Lycus* in *Mæandrum*. A nemine jam habitatur, niſi quod hîc noctu lupi, vulpes, & *Alopecidæ*, quas *Jackal* nominant, prædam inveſtigatum eant. Quam miſera & deſerta jacet *Laodicea*, quæ tot palatiis olim tumebat ! Sola enim hodiè ſuperſunt rudera, quæ tamen eam teſtantur *celeberrimæ urbis* nomen meruiſſe. E quatuor *theatris* magnitudinem & gloriam ipſius colligere licet, quorum duo ſunt admiranda, alterum, cujus aditus eſt ab *Euroaquilone*, hominum ſupra triginta millia capax, ad cujus aream quinquaginta gradibus deſcenditur, alterum viginti duos

duos gradus, qui adhuc integri manent, habet, tercentum & quadraginta paſſus longum: in cujus extremo aditui oppoſito ſpecus eſt, in quo feræ aſſervabantur, pulchro fornice ornatus, cui inerat hæc epigraphe:

:: ΤΩΙ ΚΑΙΣΑΡΙ ΣΕΒΑΣΤΩΙ ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΩΙ ΥΠΑ
ΤΩ ΤΟ Ζ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟ...

... ΟΥ ΥΙΩΙ ΚΑΙ ΤΩ ΔΗΜΩΙ ΝΕΙΚΟΣΤΡΑΤΟΣ
ΛΥΚΙΟΥ ΤΟΥ ΝΕΙΚΟΣΤΡΑΤΟΥ ΤΟΥ Ι...

... ΛΙΘΟΝ ΕΚ ΤΩΝ ΙΔΙΩΝ ΑΝΕΘΗΚΕΝ ΤΑ ΠΡΟΣ
ΛΕΙΨΑΝΤΑ ΤΟΥ ΕΡΓΟΥ ΤΕΛΕΙΩΣΑΝΤΟΣ
ΝΕΙΚΟΣΤΡΑΤΟΥ

... ΙΕΡΟΝΟΜΟΥ ΑΥΤΟΥ ΚΑΘΙΕΡΩΣΑΝΤΟΣ
ΤΟΥ ΤΡΑΙΑΝΟΥ ΤΟΥ ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ.

Ad *euronotum* rudera propugnaculi & aquæductûs, cujus canalis in ſaxis ſolidiſſimis cæditur & excavatur, vidimus, ut & columnarum baſes, quæ duplici ſerie ab *euro-auſtro* ad *boreazephyrum*, & ab *euroaquilone* ad *noto-*

*Notozephirum* extendebantur, quas porticum ſive ambulacrum olim conſtituiſſe pluſquam veriſimile eſt. Ampliſſimæ Eccleſiæ muri nobis demonſtrarunt, veteres *Chriſtianos* nullis ſumptibus in fabricandis ædibus religioſo cultui dicatis peperciſſe, prope quam exſtant tres pulcherrimi fornices. Epiſtylio columnæ hos verſus inciſos reperi:

ΔΟΚΤΙΚΙΟΥ ΜΟΡΦΗΣ : ΝΕΧΩ ΤΥΠΟΝ ΕΙΚΟΝΑ ΔΑΥΤΒ<br>
ΘΕΣΠΕΣΙΗΣ ΑΡΕΤΗΣ ΦΟΡΕΕΙ ΣΤΟΜΑΦΩΤΟΣ ΕΚΑΣΤΟΥ<br>
ΤΙΣ ΤΟΔΕ ΚΑΛΟΝ ΑΓΑΛΜΑ ΤΙΝΟΣ ΧΑΡΙΝ Η ΤΙΝΙ ΦΩΤΩΝ<br>
Η ΠΟΛΙΣ ΑΝΤΑΓΑΘΩΝ ΔΟΚΤΙΚΙΩ ΜΕΓΑΛΩ.

Decimo ſexto die; Poſt ſolis occaſum, illuceſcente lunâ, *Laodiceam* reliquimus: mediâ nocte aërem craſſo fumo obfuſcatum non ſine ſtupore vidimus, quaſi ſylvæ conflagraſſent: ſed ecce! dum ad pedem collis è latere montis altiſſimi deſcendimus, fons ebulliens aquas ferventiſſimas, prout digito in eas immiſſo expertus ſum,

evomuit,

evomuit, tanto autem cum æſtu, ac ſi ingens ignis iis ſupponeretur. Hinc ferè ad quingentos paſſus *Mæandrum* iterum trajecimus, ponte ligneo ipſi ſuperimpoſito, in *regionem Eumeneticam* & *campos Bargylleticos* tranſeuntes. Hic non ſine ſummâ delectatione varios *Mæandri* flexus obliquoſque curſus obſervavimus, ripis ejus ferè decem horis inſiſtentes. Tandem oppidum *Nozli*, ubi pernoctandum erat, pervenimus, itinere ferè ſeptendecim horarum penè confecti.

Decimo octavo. Novem adhinc milliaribus vicum *Teke-kui* pertranſiimus, à quo ferè ad ducentos paſſus, & à *Mæandro* octingentos à dextrâ diſtant *Tralles*, hodiè à *Turcis Sultan Hiſar* i. *Imperatoris Caſtrum* nuncupatæ, olim urbs celebris, & in primo *Chriſtianiſmi* ævo Epiſcopi ſedes, ad cujus cives, uti ad *Magneſianos*, epiſtolam ſcripſit pientiſſimus ille Martyr S. *Ignatius Antiochenus*. Ingentia rudera in colle quodam jacent ad *Boream*, inter quem

&

& oppoſitum montem intercedit pulcherrima planities: longo tractu erant alia eccleſiarum, aquæductûs, propugnaculi rudera, quibus luſtrandis non licuit immorari. Ex quo enim *Hierapoli* diſceſſeramus, fuga erat potius quam iter. Tandem poſt octo horas *Guzel Hiſar* pervenimus.

*Guzel Hiſar* nomen ſuum i. *Pulchrum Caſtrum* meretur, (quo nomine plura loca cohoneſtare *Turcis* libet) utpote oppidum *Moſcheis* ornatum & muris portiſque munitum, ſplendorem vero maximum ab antiquis ædibus & columnis mutuatur. Mihi videtur eſſe *Magneſia* ad *Mæandrum*, (quo epitheto ab alterâ *Magneſiâ*, quam ad *Sipylum* eſſe ſupra memoravi, diſcriminatur) à *Trallibus* ſexdecim milliaribus diſſita. Hinc ſtamina ex goſſypio neta *Smyrnam* deferuntur. Iter hoc die ferè ad occidentem direximus, quibuſdam fluentis in *Mæandrum* cadentibus ſubinde trajectis.

Decimo nono, hinc ad *Gherme-anle*

ſex

ſex horarum iter erat ferè verſus *Boreazephyrum.*

Viceſimo, paulo ad *Boream* declinavimus, uſque dum de jugo montis, unde inſulam *Samum* ad *Boreazephyrum* conſpexeramus deſcenderetur verſus *Epheſum*, ad cujus radicem amplus erigitur æquæductus ( cui reſpondet alter *Epheſinus* ad orientem, magnificentiæ priorum ſeculorum inſigne, quem tres fornices infra, ſupra vero quinque ſuſtinent. Paulo ab urbe diſtat, quam poſt iter diurnum octo horarum ingrediebamur.

*Epheſus*, à *Turcis Aiaſalik* dicta, olim *Lydianæ Aſiæ* metropolis, & *Romani Proconſulis* ſedes, utpote omnium civitatum, quæ ejus ditioni ſubjacebant, longè præcipua, florentibus ac proſperis *Græcorum* & *Romanorum* rebus non tam celebris, quã hodiè infelix & miſeranda eſt; planè ſordet, caſulis & gurguſtiis deformata, non civitas, ſed vicus, licet ob rudera venerabilis. *Cayſtro* ad *Boream* irrigua, à *Smyrna* qua-

quadraginta ſex milliaribus verſus *Notapeliotem* diſtat, in extremâ planitie, quæ myricis adeò in altum excreſcentibus luxuriatur, ut hominem equo vectum facilè abſcondant, ad radices duorum montium ſita eſt, quos disjungit planities ferè tercentum paſſuum: horum alter ad *Notapeliotèm* modicum excurrit, alter ad *Auſtrum* longiùs exporrigitur, in cujus jugo longo tractu ſuperſunt reliquiæ muri, qui urbi, ne oppugnaretur illac, viam præcluſit, quibuſdam cryptis longo ordine in ejus acclivitate effoſſis: ſub hoc monte præcipuas urbis regiones ſitas eſſe ex ruderibus liquet, licet in latere alterius non defuiſſe ædes magnificas ex muris & fornicibus inibi proſtantibus teſtatiſſimum ſit. Columnas marmoreas disjectas et ſubmotas offendimus, alias albi coloris, mixti alias. Hæ autem erant prope templum *Dianæ*, ( cujus fundamentis eccleſiam *Chriſtianos* inædificaſſe veriſimile videtur ) quarum diameter

ameter erat ſeptem circitèr pedum, longitudo quadraginta, epiſtylia, quæ propè aderant, fortè undecim pedes in quadrum extenſa ſunt, & quatuor craſſa, quibus baſes erant planè analogæ. Templũ hoc verſus *Japyga* ſitum eſt, cujus aditum eſſe ab *Euroaquilone* ſitu portæ pulcherrimæ inducor ut credam. Hiſce viſis, placuit ad ima deſcendere, quæ enim ſubtus latent admiranda eſſe fama erat: ideò cereis accenſis, & glomere lini muro alligato, cujus ope exitum ex hiſce locis ſubterraneis, quæ non incongruè *Labyrinthum* appellitant, invenimus, flexu, qui à dextra eſt, deſcendimus: inde anguſtum aditum perreptantes, rectâ progredimur, ab utroque latere erant cameræ, ad alias ducentes, arcuatìm ſtructæ, & aliæ porticus, quas permeare nobis non licuit, niſi genibus flexis, & corpore in terram pene ſtrato. Cryptæ hæ tantâ cum arte ac tanto cum labore exſtructæ, ſuperbi ædificii, quod ſuſtinent, fundamentis

inſer-

inſerviebant, nec ad alios uſus à conditoribus deſignatæ eſſe videntur, cum recondendis annonis ſint prorſus ineptæ & inutiles, tum ob anguſtiam ambulacrorum & camerarum, tum ob craſſiſſimum acuvidum aërem, quo quicquid inibi reſervatum fuerit, facilè ac citò putreſceret. Inde etiam teterrimi & noxii vapores exhalant, à quibus metuebamus, totum corpus ſudore perfuſi, ideò poſt quadrântis horæ moram ex his tenebricoſis regionibus exiimus, quò purioris aëris luce frueremur.

Hinc ad *Notozephyrum* in vertice ſaxoſi montis adhuc viſuntur muri cujuſdam propugnaculi, cui objacet promontorium *Trogyllium* & mare ad *Notozephyrum*: *Sanctum Paulum* inibi detentum fuiſſe vulgo creditum eſt, inde carceris *Sancti Pauli* nomen habet; mihi videtur tum ex ſitu, tum ex anguſtia, (non enim ultra decem paſſus quadratos continet) ſpeculam fuiſſe, hunc in finem exſtructam, quo

melius

melius navium, quæ maris, undequinq; mille paſſus diſtat, oram legerunt ac quaſi prætervolarunt, proſpectus haberetur. Hinc quoque ad *Boreazephyrum* deſpeximus in admirandos flexus & obliquationes *Cayſtri*, qui in ſe magis reverti videtur, quam *Mæander*.

Non procul à *Dianæ* templo verſus *Boreapeliotem* humi jacet amplum lavacrum, e lapide *Porphyretico* efformatum, cujus interior circulus ab extremo ad extremum ſex circiter pedes continet; Hoc D. *Joannem* olim uſum fuiſſe quidam aſſerunt, eadem incerta traditione confiſi, quatuor adhuc columnis reſtantibus, quibus id inſtitiſſe volunt. At parum credibile eſt *Chriſtianos* ſub *Domitiano* & *Trajano*, quo tempore tot gravia paſſi ſunt, opibus & dignitatibus exuti, & quo myſteria & ritus religionis clam in cryptis fiebant & celebrabantur, de tantâ magnificentiâ meditari & conſulere.

Cum populus *Orientis*, æque ac plebs

*Romana*

*Romana* ſpectaculorum amore inſaniret, *Amphitheatra*, quæ in quavis inſigniori civitate ferè proſtant, in hoc ampliſſimo totius *Aſiæ* conventu deeſſe nemo ſuſpicabitur. Duo autem ſunt, alterum ſub monte *Auſtrali*, alterum ad *Occidentem*, prope quod adhuc eminet porta magnifica. Illic duobus in locis inſcriptum erat.

ACCENSORENSI ET ASIAE.

Ab *Amphitheatris* ad *Eccleſiarum* rudera me converto: ſed quam triſte, quam horridum ſpectaculum! Eheu! ἡ πρώτη τῆς Ἀσίας qualem ſubiit mutationem! Quam ſolitaria, quam nuda, quæ olim tot millia civium, tot millia Chriſtianorum numeraverit! Quam ſplendida & magnifica Templa eſſent, oſtendit unicum illud, quod hodie reſtat, *Divi Joannis* memoriæ conſecratum, ad *Septentrionem*, jam *Turcarum Moſchea*, ſeptuaginta paſſus longum, latum viginti, cujus duos *tholos*

ſuſtinent

ſuſtinent quatuor inſignes columnæ ex *Porphyrite* factæ.

Hinc ad *Boream*, ad portam, per quam ad *novum Caſtrum* eunt, ſtatuæ minoris formæ curioſâ & artifici manu inciſæ prominent, quoſdam vi raptos oculis quaſi exhibentes: quid innuant hæ figuræ, mihi ſaltem incertum eſt,& piget in proferendâ conjecturâ ineptire.Sed de *Epheſo* hactenus.

Viceſimo primo:Ad mille paſſus ab urbe pons ſaxeus *Cayſtro* ſuperſternitur;quo trajecto, non longè pòſt aditum verè admirandum ingredimur, qui fit in cæſa rupe altâ & ſolidiſſimâ. Paludes, quæ viam ſtratam ad *Epheſum* ducentem ab utroque latere,tempore hiemali infeſtant, impedimento fortaſſe ſint, quo minus illac, vel ſaltem non ſine difficultate, eatur; ſed rupis effodiendæ non eadem videtur occaſio, non idem prætextus, cum locus hic præ ſitu acclivi vix ab aquis pati poſſit: ideò mihi veriſimilius videtur, hoc opus ex levi cujuſdam



Digitized by Google

*Principis* aut *Præfecti* motu attentatum & effectum eſſe, ut homines, ne quid novi molirentur, diſtinerent, vel ſaltum ut oſtendant humanâ arte & induſtriâ difficillima quæq; effici poſſe. Poſt, ſcandebamus viâ ſaxeâ & perquam difficili *Alymanam*, montis *Mimantis*, qui ad promontorium *Corinæum*, hodiè à *Turcis Kara borun* i. *nigri naſi promontorium* dictum, excurrit, appendicem, oleaſtris tectam, quam duarum horarum ſpatio ſuperavimus. Deinde trajecto amne *Haleſo* apud *Colophonem* in mare *Ægæum* illabente, venimus ad oppidum nitidum *Giamobaſhi* dictum, in ampla planitie ſitum, *Moſcheis* & multiplici cupreſſorum ſerie ornatum, inde ad viculum *Karagic kui* divertimur, & die ſequenti *Smyrnam* repetimus.

E ſeptenario eccleſiarum numero ſola reſtat *Smyrna*, cujus deſcriptionem paucis expediam.

*Smyrna*, hodie à *Turcis Eſmîr* dicta, in extremo receſſu ſinûs, qui ab utriſ-

que

que lateribus præaltis montibus cinctus, ab *Occidente Orientem* verſus decem circiter leucis exporrigitur, ſita, amne *Melete* ad *Septentrionem* irrigatur.

Adhuc eminet & celebris eſt, non ob ſplendorem & pompam ædium, (nulla enim eſt, ex quo hæ igni, ferro, & terræ motibus conciderint) ſed ob copiam civium, opes, & commercia. In latere montis, & magis ad *Auſtrum*, urbem olim ſtetiſſe è fundamentis, quæ inter effodiendum detegunt, aliiſque ruderibus certiſſimè liquet, licèt mari jam magis appropinquet. In jugo montis adhuc vetus arx manet, non niſi duobus tribúſve tormentis, quæ appetente novâ lunâ *Birami*, aut quo tempore cum claſſe triremium portum ingreditur *Capitaneus Baſſa*, copiarum navalium Præfectus, explodi ſolent, munita: prope cujus portam, quæ ſinui rectâ objacet, exſtat caput marmoreum, cujus naſus à *Turcis* præ odio ac furioſo zelo, quo

adverſus iſtiuſmodi figuras ardent abſciſſus eſt. Neſcio an memorare debeam ciſternam illic ſubtus humum effoſſam, columníſque ſuffultam, cujus pavimentum gypſo obtegitur: opus ſanè antiquum, cujuſmodi aliud annonarium, ſed longè illuſtrius ſuíſque partibus maximè compoſitum in inſulâ *Claſomeniâ* vidi, centum ſexaginta paſſus longum, latum centum triginta novem, quintuplici columnarum ſerie ornatum, quarum unaquæq; viginti quatuor columnas continet, interſtitio æquali ſeptem paſſuum inter ipſas ſervato. Ad latera alterius portæ arcis, quæ ad *Orientem* eſt, adhuc viſuntur duæ aquilæ, *Romanorum* inſignia, largiuſculè & bellè quidem delineatæ. Hinc inter deſcendendum amplum *Amphitheatrum* ad *Notapeliotem*, quo *Sanctus Polycarpus* martyrio coronatus erat, intravimus, gradibus ſaxeis à *Turcis* ad ornandas ædes illinc ſublatis. In cujus lateribus duæ cavernæ, quibus claudebantur leones, ſibi

ſibi invicem opponuntur.

Sepulchrum *Sancti Polycarpi*, quod in latere montis verſus *Euro-auſtrum* adhuc conſervatur, *Græci* die feſto ipſius memoriæ conſecrato, pro more, qui apud ipſos obtinet, ſolenniter inviſunt; ſitum eſt in quadam ædiculâ, eccleſiæ fortè ſacello, alii, per quam illuc tranſeundum eſt, contiguâ.

In hac exteriori, marmori in foculo jam poſito hæc Epigraghe inciſa eſt.

ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΙ
ΑΔΡΙΑΝΩΙ
ΟΛΥΜΠΙΩ ΣΩΤΗΡΙ
ΚΑΙΚΤΙΣΤΗΙ

In hoc monumento inſtaurando, ſi ab impreſſionibus aëriis, ſi à *Turcis*, ſi à *Chriſtianis Occidentalibus*, qui fragmenta marmoris quaſi tot reliquias exinde tollunt, lædatur temereturq;, laudabilis illorum collocatur opera, ollâ fictili quoque illic appoſitâ, in quam

quam quiſque ferè vel ex curioſitate, vel præ veneratione, quâ erga τὸν Μεγαλομάρτυρα, pro *Chriſto* invictâ animi præſentia mori ſuſtinentem, fertur, illic ductus, pauculos aſpros conjicit, ut in omne ævum perennet. Propè exſtat fornicum longo ordine poſitorum ſeries, ingentibus ſaxis humi jacentibus: uti etiam ſaxeum quoddam ædificium, quod judicatorium fuiſſe videtur, tria conclavia habens eidem ſolo inſiſtentia, quorum medium duodecim ferè ab omni latere paſſuum eſt. Frontiſpicium ipſius olim ornârunt quatuor columnæ, quarum ſolæ baſes manent. Nuper in regione urbis, quæ ad *Euroaquilonem* eſt, dum terram aggeſtam effodiendo ſuſtulêre, ecce apparent grandium ſaxorum cæſorum ſeries, aliæ aliis inſtar tot graduum ſupereminentes, fani fortaſſe hic olim graſſante Ethniciſmo exſtructi appendices. In mœnibus urbis inciſionem in quovis ferè ſaxo literæ V figuram plerumque exhibentem videre eſt, quâ

ad

ad *Veſpaſianum* Imperatorem de *Smyrnæis* optimè meritum alluſum eſſe aliqui conjectantur; ſed cum figura illa non ſibi ſemper conſtet, rectâ lineâ ipſi in aliquibus additâ inſtar T *Græcorum*, dicendum videtur, illam à latomis & architectis factam eſſe, quo melius ſaxa cohærerent. Ad mille ab urbe paſſus exſtant parietinæ cujuſdam eccleſiæ, quam *Franci Jeni templum* communitèr nuncupant; fortè D. *Johanni* olim dedicabatur, cujus Apoſtoli nomen & memoriam præ cæteris *Aſia minor* celebrat colítque; inde alterius nominis & erroris origo petenda videtur.

*Turcæ* hic tredecim numerant *Moſcheas*, *Judæi* ſuas hic habent *Synagogas*: inter hos *Chriſtiani* nominis hoſtes viget quoque religio *Chriſtiana*; adhuc enim dignitatem *Metropoleos* retinet *Smyrna*, licet ſolæ duæ *Græcorum Eccleſiæ* illic hodie ſint, quarum altera *Sancto Georgio* dedicatur, *Sancto Photino* altera. *Armeni* unicam ha-

bent *Eccleſiam*, in cujus cœmeterio haſce inſequentes inſcriptiones reperi.

ΟΙ ΘΕΙΟΤΑΤΟΙ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΕΣ ΣΕΟΥΗΡΟΣ ΚΑΙ
ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΣ . . . . ΣΜΥΡΝΑΟΙΣ
ΕΙ ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΡΟΥΦΙΝΟΣ Ο ΠΟΛΕΙΤΗΣ ΥΜΩΝ
Ο ΔΙΑ ΤΗΝ ΠΡΟΑΙΡΕΣΙΝ
Η ΣΥΝΕΣΤΙΝ ΕΠΙ ΠΑΔΕΙΑ ΚΑΙ ΤΟΝ ΕΝ ΛΟΓΟΙΣ
ΣΥΝΕΧΗ ΒΙΟΝ ΤΗΝ
ΠΡΟΚΕΙΜΕΝΗΝ ΤΟΙΣ ΣΟΦΙΣΤΑΙΣ ΚΑΤΑ ΤΑΣ
ΘΕΙΑΣ ΤΩΝ ΠΡΟΓΟΝΩΝ
ΗΜΩΝ ΔΙΑΤΑΞΕΙΣ ΑΤΕΛΕΙΑΝ ΤΩΝ ΛΕΙΤΥΡΓΙ
ΩΝ ΚΑΡΠΟΥΜΕΝΟΣ
ΥΜΩΝ ΑΥΤΟΝ ΕΚΟΥΣΙΩ ΑΝΑΓΚΗ ΠΡΟΚΑΛΟΥ
ΜΕΝΩΝ ΥΦΕΣΤΗ ΤΗΝ
ΣΤΡΑΤΗΓΙΑΝ ΚΑΤΑ ΤΟ ΠΡΟΣ ΤΗΝ ΠΑΤΡΙΔΑ
ΦΙΛΤΡΟΝ ΤΗΝ ΓΟΥΝ ΕΙΣΤΑ
ΑΛΛΑ ΜΕΝΕΙΝ ΑΠΡΑΓΜΟΣΥΝΗΝ ΑΚΕΙΝΗΤΟΝ
ΑΥΤΩ ΔΙΚΑΙΟΤΑΤΟΝ
ΕΣΤΙΝ ΟΥ ΓΑΡ ΑΞΙΟΝ ΤΩ ΑΝΔΡΙ ΤΗΝ ΕΙΣ ΥΜΑΣ
ΦΙΛΟΤΕΙΜΙΑΝ ΓΕΝΕ
ΣΘΑΙ ΖΗΜΙΑΝ ΚΑΙ ΜΑΛΙΣΤΑ ΤΑΥΤΗΝ ΥΜΩΝ
ΑΙΤΟΥΝΤΩΝ ΥΠΕΡ
ΑΥΤΟΥ ΤΗΝ ΧΑΡΙΝ. ΕΥΤΥΧΕΙΤΕ.
ΕΠΡΕΣΒΕΥΕΝ ΑΥΡ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΣ ΚΑΙ ΑΙΛΙΟΣ
ΣΠΗΡΑΤΟΣ.

ΧΑΡΙΤΙ ΝΕΡΜΙΠΠΟΥ ΤΟΥ
ΕΠΙΤΥΓΧΑΝΟΝΤΟΣ ΤΟ ΜΝΗ
ΜΕΙΟΝ ΕΑΥΤΗ ΚΑΙ ΤΟΙΣ ΕΝ
ΤΗ ΔΙΑΘΗΚΗ.

ΤΟ ΜΝΗΜΕΙΟΝ ΕΣΤΙΝ ΙΚΙΟΥ ΙΚΙΟΥ ΤΟΥ
ΕΥΗΜΕΡΟΥ ΙΕΡΟΥ ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΚΑΙ ΤΡΟΦΙΜΗΣ
ΚΥΡΟΥ ΤΟΥ ΕΡΜΟΓΕΝΟΥΣ ΚΑΤΑ ΤΗΝ ΓΕΓΟΝΥΙΑΝ
ΕΚΧΩΡΗΣΙΝ ΤΗΣ ΕΠΙΓΡΑΦΗΣ ΑΝΤΙΓΡΑΦΟΝ ΑΠΟ
ΤΕΘΗΣΕΤΑΙ ΕΙ ΤΟ ΑΡΧΕΙΟΝ.

ΤΑΤΙΑΣ ΗΡΩ ΘΕΜΙΔΟΣ ΜΑΓΝΗΤΙΣ ΑΠΟ ΣΙΠΥ
ΛΟΥ ΖΩΣΑ ΚΑΙ
ΤΩ ΥΙΩ ΚΑΤΟΙΧΟΜΕΝΩ ΛΥΣΑΝΙΑ ΛΥΣΑ ΚΑΙ ΤΩ
ΠΑΤΡΙ ΛΥΣ.

Hac qualicunque notitiâ ſatis compertum habebis, *Vir Clariſſime*, quali ſtatu hodie ſint hæ quondam celeberrimæ *Eccleſiæ*, quas *Apoſtoli* condidêre, in quibus, tot ſanctiſſimis *Martyribus*, tot myriadibus *Chriſtianorum* olim fœtis, *religio Chriſtiana* de odio, de tyrannide, de veſaniâ barbarorum hoſtium, qui præ amore ac zelo Idololatriæ

lolatriæ eam igni & ferro penitùs exterminatum iverint, triumphabat, quas demum, cum *Imperatores* ſe legi & diſciplinæ *Chriſtianæ* ſubmitterent, & *crux*, non ampliùs ferale mortis inſtrumentum, tanquam inſigne & ſummum ornamentum coronis ſuperponeretur, æternas fore aliquis crederet; quam nihil ipſis præter rudera ſuperſit, quæ eas olim fuiſſe teſtantur; quanta barbaries & inſcitia *Aſiam minorem* obruant; quam vili habita ſit illic *Chriſtianiſmi* profeſſio, & quam ſomnia & deliria impuriſſimi & viliſſimi *impoſtoris* vigeant. Non *Te* in deplorandis rerum viciſſitudinibus ampliùs morabor, nec mihi animus eſt *Græcis* luxuriam & ſtupiditatem exprobrare; hæc enim vulgarium animorum ſunt: ad altiora contemplandum me invitat *Sacerdotale* illud munus, quo, divinâ miſericordiâ favente, licet indigniſſimus, fungor, (credo autem pietatem tuam & mentis, quâ polles, perſpicacitatem me in hiſce

medi-

meditationibus antevertiſſe ) haſce diriſſimas calamitates, hanc miſerrimam *Græcorum* ſervitutem, harúmque *Eccleſiarum* demolitionem *orbi huic noſtro Chriſtiano* palam denunciare,ac ſi Angelus de cœlo horrendum & triſte illud nuncium ad terras detuliſſet, quid de ipſo fieri poſſit, modo iiſdem veſtigiis inſiſtat, eorúmque exempla ſequatur; ingenium & vires humanas adverſus iram *Numinis* neutiquam valere poſſe;& denique totam ipſius ſecuritatem nonin exterioribus privilegiis,non in exercitibus( neque enim his utriſque à furore *Saracenorum* & *Turcarum* ſatis muniti erant *Chriſtiani Orientales* ) ſed in fide colendâ, in animorum conſenſu, & in innocentiâ & probitate morum reponendam eſſe. Vale *Vir Præſtantiſſime*. E coll: D. *Mariæ Magdalenæ Oxon.* octavo die *Aprilis*, *Anno Chriſti* M. DC. LXXII.

INDEX.

Digitized by Google

Index vocabulorum *Turcicorum* & *Arabicorum*, quæ in hiſce epiſtolis continentur.


ابدست *Abdeſt* p. 30.

ابو بكر *Abu bekr* 11.

اخشام نمازي *Achſham namazi* 28.

ابكش *Abkeſh* 58.

اجل كلمدي *Egel ghelmedi* 74.

اذان *Ezân* 33.

استنبول افندي *Iſtambol Ephendi* 77.

اسكي حصار *Eski hiſar* 150.

اعلي شهر *Alai ſhahr* 139.

افندي *Ephemdi* 77.

اقامات *Ikamat* 37.

اكندي نمازي *Ikindi namazi* 28.


*Ak*

| | | |
|---|---|---|
| آق حصار | *Akhiſar* | 121. |
| اللّه | *Allah* | |
| آقنجي | *Akingi* | 92. |
| اللّه كريم | *Allah Karim* | 75. |
| اللّه اكبر | *Allah Ekber* | 39. 75. |
| اللّه ويره | *Allah Vere* | 75. |
| الاهك امري | *Allahung Amri* | 71. |
| امام | *Imam* | 55. |
| انشاء اللّه | *Inſhaallah* | 74. |
| اوق ميدان | *Ok midân* | 72. |
| اوجاق اغالر | *Ogiak Agaler* | 84. |
| اورخان | *Ur-chan.* | |
| اويله نمازي | *Oile namazi* | 28. |
| اوده لر | *Odaler* | 83. |
| برات كيجه | *Barat Kigeh* | 49. |
| بايزيد | *Bayazid.* | |
| بره طكوز | *Bre Domuz* | 5. |
| بق خير | *Bokhair* | 121. |


*Biſ-*

# INDEX.


| | | |
|---|---|---|
| بسم الله | *Biſmillah* | 25. 39. |
| بيرام | *Biram* | 35. |
| بي نماز | *Binamaz* | 12. |
| بوز طاغ | *Boz dag* | 132. |
| پنبوق قلعه سي | *Pambuk kulaſi* | 144. |
| تتمه | *Tetimme* | 65. |
| تشهد | *Teſhahud* | 38. |
| تسليمات | *Teſlimât* | 38. |
| تكبير | *Tekbir* | 38. |
| تيمار سپاهيلر | *Timar Spahiler* | 90. |
| تهجد نمازي | *Temgid namazi* | 29. |
| تربه | *Turbeh* | 58. |
| تربه دار | *Turbehdâr* | 59. |
| توغ | *Tug.* | 53. |
| جهود | *Gehud* | 9. |
| چفوت | *Tchephut* | 9. |
| جنوبلر | *Genubler* | 31. |
| جمعه كون | *Giumah Gun.* | 28. |


Gindi

Digitized by Google

| | | |
|---|---|---|
| جندی | *Gindi* | 93. |
| جزء خوانلر | *Giuzhuanler* | 58. |
| الحمد لله | *AlHemdo,lillah* | 39.75. |
| حق | *Hakka* | 39. |
| خان | *Chan* | 78. |
| خراج | *Haratch* | 120. |
| دانشمند | *Daniſhmend* | 64. |
| دعا قویلر | *Doa kuiler* | 58. |
| دوشرمه | *Deuſhirmeh.* | 81. |
| دین سز | *Dinſiz* | 12. |
| رجب | *Regeb.* | 49. |
| رغایب | *Regaib* | 49. |
| رکعات | *Rekaat* | 32. |
| رافضه | *Raphize* | 12. |
| رمضان | *Ramazan* | 32. |
| زایملر | *Zaimler* | 92. |
| سبحان الله | *Sobhan Allah* | 39. |

Serdar

سردار *Serdar* 86.
سجدات *Segiedat* 37.
سپاهي *Spahi* 89.
سربجة *Sarigiah* 93.
سپاهي اوغلانلري *Spahi Oglanleri* 91.
سراي *Serai*
سنة *Sunna* 55.
سنة داش *Sunnedaſh* 35.
سوباشي *Subaſhi* 80.
سلاح دار *Selihdar* 91.
سوختة *Suchta, Softa* 64.
سليمان *Suleiman.*
سلطان حصار *Sultan hiſar* 53.
شعبان *Shaaban* 58.
شيخلر *Sheichler.* 49.
طهارة *Taharet* 32.
صباح نمازي *Sabah namazi* 28.
صلاة نمازي *Salah namazi* 28.

صورة *Surata* 34.
عثمان *Oſman* .
عشر آش *Eſher Aſh* 48.
علماء *Vlemai* 65.
عجم اوغلان *Agiamoglan* 92.
علي *Ali* 11.
عمر *Omar.* 11.
غسول *Guſul* 31.
فاتحة *Phatiha.* 34.
فتوي *Phetfa* 51.
فراش *Pharaſh.* 58.
فرض *Pherz* 35.
فرنكيلر *Phrenkiler* 4.
فقيه *Phakih* 97.
قزل باش كور *Kizel baſh Gaour* 12.
قاضي *Kadi*
قاضي لشكر اناطولي *Kadi leskir Ana-doli:* dicitur etiam 53.

قاضي عسكر *Kadi Eskir* 53.
قاضي لسكر روم ايلي *Kadi leskir Rum ili.* 53.
قايم *Kaim* 58.
قايم مقام *Kaimacam* 78.
قراءة *Kerat* 57.
قدر نمازي *Kadar namazi* 50.
قران *Koram*
قره برون *Kara borun* 162.
قربان *Korban* 50.
قيزلر آغا *Kizler aga.* 56.
قيز سراي *Kiz Serai* 118.
قاپي آغا *Kapi aga.* 56.
قونق *Konak* 108.
قنديلجي *Kandilgi* 59.
قرق آغاج *Kirk Agatch* 121.
قهوة *Kahwe* 60.
قعودات *Kaudât* 37.

| | | |
|---|---|---|
| قاهرة | *Kahira* | 88. |
| كافر | *Kaphir* | 12. |
| كمرباشي | *Kamarbaſhi* | 65. |
| كور | *Gaour* | 5. |
| كدي چفوت | *Ghiddi Tchephut* | 9. |
| كتيب | *Katib* | 66. |
| كاروان سراي | *Karavan-ſerai* | |
| كتخدا بك | *Ketchoda (Kiahia) Bei* | 87. |
| كوزل حصار | *Guzel Hiſar.* | 109. 114. |
| محمد | *Mohammed.* | |
| مدرسة | *Medreſe* | 64 |
| منار | *Menar* | 33. |
| مدرس | *Modaris* | 64. |
| مردار | *Murdar* | 12. |
| معراج | *Miratch* | 49. |
| مراد | *Morad* | |
| محضر | *Muhſir* | 66. |
| مقيد | *Mokaid* | 66. |


*Muſulman.*

Digitized by Google

# INDEX.


مسجد *Meſgid, Moſchea*

مسلمان *Muſulman.*

متفرقة *Mutaferraca* 92.

مفتي *Muphti* 50.

مولود *Mulud* 48.

موذن *Muezzin* 33.

مولاي *Mulai* 54.

نايب *Naib.* 65.

وزير *Vizir*

ياتسي نمازي *Jatzi namazi* 28.

ينكيچري *Jenitzeri* 81.

ينكيچري اغا *Jenitzeri Aga* 86.

يلدرم *Jilderim.* 140.


Monendus eſt Lector, vulgarem pronunciationem à ſcripturâ, quam in hoc indiculo expreſſi, aliquantulum differre.

Digitized by Google

Formula verborum, quâ utuntur Sacerdotes & ipſorum miniſtri, populum ad preces celebrandas convocantes. *v. pag.* 34.

اللّه اكبر اللّه اكبر اشهد ان لا اله الا
اللّه اشهد ان لا اله الا اللّه اشهد ان
محمد الرسول اللّه اشهد ان محمد الرسول
اللّه حي على صلوة حي على صلوة حي
على لفلاح حي على الفلاح اللّه اكبر
اللّه اكبر لا اله الا اللّه

FINIS.

---

ERRATA.

P. 112. l. 6. *quâ. Cætera, ſi quæ ſint, levioris momenti æquo Lectori corrigenda & condonanda relinquo.*